DE SANCTO STANISLAO EPISCOPO & MARTYRE ORATIONES VI.

IN

CATHEDRALI CRACOVIENSI BASILICA

VIII. Idus Maji

à

M. ANDREA CANTIO SLECZKOWSKI,

Philosophiæ Doctore, ejusdemque Regio, & Tylicciano Eloquentiæ in Collegio Universitatis Majori Professore; Collegiatæ S. ANNÆ Cancellario, Collegialis Ilcussiensis Præposito.

RECITATÆ.

CRACOVIÆ

TYPIS COLLEGII MAJORIS

MDCCLXXIII.

IN STEMMA PRINCIPIS CELSISSIMI.

I.

Alitem

\- - - -

\- - *Expertus fidelem*

Jupiter. - - Horat: Lib: IV. Ode III.

Provida regnatrix Aquila in volitante caterva
Porrigit in miserûm tela rotanda caput.
Jupiter hanc Superûm Rector cernendo, fidelē
Expertus, regni frena tenenda dedit.
Pontificis Volucris præstat moderamine suavi,
Quod sibi sacrata Numen ab Arce tulit.
Fert gladium dextrâ, resecet metuenda minarū,
Fulmina confringat, quæ nocitura videt.

II.

Viam affectat Olympo. Virgil: in Georg:

In sublime volans affectas Ales Olympô
Sedes, Te referent sêcla sub astra Poli.
Tertius ùt Scutô præclarus in Orbe Joannes,
Fulgebit pariter SOŁTYKIANA DOMUS.
Doctorum quoties lustrabit penna Virorum
Sidera, SOŁTYKIOS commemorare sciet.

Ad

CELSISSIMUM
PRINCIPEM,
ILLUSTRISSIMUM, EXCELLENTISSIMUM & REVERENDISSIMUM DOMINUM,
D. CAJETANUM IGNATIUM SOŁTYK,

DEI & Apostolicæ Sedis Gratiâ EPISCOPUM Cracoviensem, DUCEM Severiæ, EQUITEM Aquilæ Albæ, Universitatis Cracoviensis VISITATOREM Apostolicum & Regium, ac CANCELLARIUM longè Faventissimum, DOMINUM & Maximum PROTECTOREM.

EA est scribentium opus

 ratio

ratio, ut, cùm benevolentiam Illorum, ſub quorum Nomine labores ſuos luci publicæ emittunt, tum gratitudinem pro collatis in ſe beneficiis, palàm teſtentur. Sed neque mea hac in parte diverſa eſt ab illis ſententia. Illud mihi incubuit, ut ex redditu, quo in docenda TYLICCII eloquentia fruor, fruor autem pertenui; aliquod laboris mei ſpecimen, jam memoris animi, jam debiti

biti officii causâ CELSITUDINI VESTRÆ ILLUSTRISSIMÆ exhiberem. Quod meæ tenuitatis est, id præsto.

Cùm enim Academiam nostram novo uberioris beneficentiæ fructu CELSITUDO VESTRA ILLUSTRISSIMA Apostolicus & Regius VISITATOR auxerit, eoqué optatissimo honore affecerit, ut in pulcherrimo Sanctissimo-

qué

qué Poloniarum loco Cathedra Ejus Peraugusta de STANISLAO Pontifice & Martyre dicerem: Orationes has ipsas, quas pientissimis patientissimisqué auribûs Illustrissimum CELSITUDINIS VESTRÆ Capitulum accepit, jure sinente, devotus Nomini Authoritatiqué VESTRÆ CELSITUDINIS ILLUSTRISSIMÆ, Authori, & ut fatear, Conditori ge-

nii

nii mei reverentissimè offero & consecro. Facit id ipsa argumenti ratio. STANISLAI siquidem laudes non erat fas ulli inscribere, nisi CELSITUDINI VESTRÆ ILLUSTRISSIMÆ, quem in eadem Pontificis & Martyris sede difficillimis Catholicæ Religionis temporibûs collocatum videmus.

Ast uberius præstat argumentum virtus.: quo studio, operâ, solici-

ſolicitudine, pietatis ardore, conſi-
lii ſalubritate, ingenii dexteritate
communem hanc Parentem, tot
periculîs circumſeptam, tot diſſi-
diîs laborantem, calamitatibûs lan-
cinatam, CELSITUDO VE-
STRA ILLUSTRISSIMA con-
ſervet, foveat, & tueatur; illud to-
ties repetens: malle ſe quidvis
perpeti, & millies mori, quàm in
aliquod diſcrimen Patriam duci

per-

permittere, ut meritò ipsa se conservatam CELSITUDINI VESTRÆ ILLUSTRISSIMÆ in acceptis referat. Quid de eximia in Episcopatu circumspectione? qua ùt PASTOR solicitus, pertinaces CELSITUDO VESTRA ILLUSTRISSIMA emollit, oves à Deo sibi commissas ad antiquæ pietatis ac integræ sanctimoniæ exemplar format.

Hæc

Hæc CELSITUDINIS VESTRÆ ILLUSTRISSIMÆ præclara de Religione in universum merita, agnoſcunt ſinguli, collaudant, mirantur, venerantur. Verbô: ſuum CELSITUDINEM VESTRAM ILLUSTRISSIMAM Eccleſia Propugnatorem, Aſſertorem Religio, Patria Senatorem Optimum, Cœnobia, pauperumq́; receptacula Patrem, Academia

Pro-

Protectorem esse vendicat. Gloriosum fuit Romanis omnium Deorum simulacra uno fano conclusisse: gloriosius multò & penè divinum unius animô tot ac tantarum virtutum magnitudinem varietatemqué contineri.

Tametsi verò innumerîs Gentis CELSITUDINIS VESTRÆ ILLUSTRISSIMÆ imaginibûs atria splendeant, ex quibus non

parva

parva in Eundem redundat gloria,
dicam, quod ſentio, plus illis ſplendoris CELSITUDO VESTRA ILLUSTRISSIMA attulit, quàm ab Illis accepit. Imò ſi non iis honeſti radicibus, quas Orbis noſter ſuſpicit, Vetuſtiſſima Gens CELSITUDINIS VESTRÆ ILLUSTRISSIMÆ niteretur: profectò ampliſſima CELSITUDINIS VESTRÆ ILLUSTRISSIMÆ

MÆ

MÆ in Patriam merita, eandem confirmâſſent, ac immortalitati conſervâſſent.

Innocentiam, religionem, pietatem, cæterasque virtutes animi, officiô varias, majeſtate pares, tam pulchre in ore, inqué oculis CELSITUDINIS VESTRÆ ILLUSTRISSIMÆ fulgentes cernimus, tametſi ſummis, infimis, mediocribus, ſui ſpectaculum præbeant

beant ſuaviſſimum atque ſpecioſiſſimum, hoc tamen omnibus perſuaſum eſt, vix CELSITUDINEM VESTRAM ILLUSTRISSIMAM eſſe, aut vivere poſſe aliter, inter exempla natum pleniſſima religionis, nec Eum ſanè beatum eſſe, cui & tantum boni natura dederat, ut vix poſſet non eſſe optimus, nec perfrui tutè velit tam excellentî bonô, quin libe-

ralis-

ralissimè id, sequé totum rei totius Ecclesiæ impertiat.

Ad extremum: non dedignabitur PONTIFEX, VISITATOR & CANCELLARIUS longè Faventissimus CELSITUDO VESTRA ILLUSTRISSIMA, qui multîs nominibûs Ejus est, hunc ingenii partum accipere, mequé devinctissimum CELSITUDINI VESTRÆ ILLUSTRISSIMÆ,

patro-

patrociniô ſuô præſentiſſimô minimè invitus fovere perget, qui Paſtorales pedes, ea, qua decet, humilitate dum oſculor, DEUM Optimum Maximum precabor, ut CELSITUDINEM VESTRAM ILLUSTRISSIMAM, communibus Fidelium votis, & Catholicæ Religionis incremento ſoſpitem diutiſſimè ſervet.

DE SANCTO STANISLAO EPISCOPO & MARTYRE, Oratio Prima 1767mô.

VEteri consuetudine, hodie tandem renovata, publicè orandi consilium promptiùs alacriùsqué suscipio *A. l.* cùm & causæ, de qua dicturus sum; dignitas, atque præstantia, & loci, ex quo mihi sunt verba facienda; majestas authoritasqué, Vestra denique in orantem incredibilis benevolentia, humanitasvé animum calcarqué adjiciunt. Dicendum enim est de STANISLAO, binâ purpurâ, Pontificiâ & Martyrii glorioso, Patritiîs & Equestribus in hoc florentissimo Regno cunabulîs

nabulis excepto, ut ſanguine, ita virtute præſtanti & præcellente, magno Sacerdote naturâ orbequé admirantibûs Chriſti patrimonium mortuorum teſtimoniô vindicante, ſcelere ſuorum in æternas illas Beatorum ſedes evecto, & cum Deo conjuncto, quæ impræſentiarum à me proferentur, quæ fient, audiente atque intuente. Dicendum in hoc peraugusto Templo, tot Beatorum, tot Principum exuviîs, ipſiuſqué PETRI TYLICCII cineribûs, ſuam dicendi facultatem huc deſcendiſſe geſtientibûs, gratiasqué, quantæ à pio Fundatore haberi poſſunt maximæ; Illuſtriſſimo Collegio, ſpes ſuas de Academicis conceptas perficienti reddentibûs, loco inquam percelebri, primario & ampliſſimo. Dicendum coram Vobis, virtutum omnium laudandarumqué diſcipli-

narum

narum præclariſſimis luminibus; ſummîs præſtantiſſimîsqué Familiîs in lucem editis, conſummatæ probitatis odorem quaquaverſus adeò ſpargentibus, ut nullus ſit ferme populus, gens, nulla hominum natio, vel tam immanis atque barbara, vel tam exculta pietate, atque literîs, quam non jam pridem diſtinctiſſima hæc, primæ & antiquisſimæ in Polonia Cathedræ Respublica, non gloriâ modò Nominum, & dignitatatum ſplendore, verùm etiam admiratione compleverit. Sed ego hæc duo poſtrema libenter fero, primum enim honori, alterum fortunæ meæ tribuo. Id, quod negotium mihi faceſsere videtur, STANISLAUS eſt, orationis meæ ſeges & materia. Tanta verò ſeges, dicendiqué ratio, ut non tam de copia, quàm de orationis dele-

ctu ſit deſperandum. Verùm enim verò, ùt in rebus magnis fieri assolet, ex multis pauca mihi ſeligenda cenſeo. Eaqué duntaxat ſeligam, quibûs rem totam commodè explicari & vos ſatagitis, & ego meditando conor. Satìs tandem & vobis ad delectum & mihi ad imbecillitatem perſuaſum ſentirem, STANISLAUM & Pontificem & Martyrem fuiſſe. In Pontifice Assertorem Religionis, cùm viveret, in Martyre Vindicem, cùm occumberet, brevibûs quidem, ſed luculentîs verbîs oſtendere contendam. Vos *A.l.* ut pro reverentia in Pontificem, & pro pietate in Martyrem, & pro humanitate in laudantem, auribûs animisqué non deeſſe videamini, vehementer exoro, ſupplex obſecro.

Cùm Religionem noſtram Ca-tholicam,

tholicam, virtutem velut matrem inter reliquas filias, ſicut ſtipitem inter frondes, ſicut caput inter cæteras corporis partes, ſicut cor inter membra interiora cogito *A. I.* ſoleo Deum Optimum Maximum enixè precari, ut iras illas hoſtiles, temporibûs iisdem finiat, quibûs patienter ſævire permiſit, nobiſque perpetuam hanc lætitiam, & æternam, quantum fieri poteſt; per viciſſitudinem rerum humanarum concedat voluptatem. Quid enim poſſet eſſe acerbius, aut magìs dolendum? quàm ſuſtentari noſtram fragilitatem, dirigi erroris cæcitatem, mortalitatem vivificari, Rempublicam ſalvam & integram haberi nolle. Labi nos lutea vaſa portantes, aberrare longiùs lumine veræ cognitionis & gratiæ deſtitutos, conteri & fugere velut umbram,

bram, perfectam civium ſocietatem diſſolvi, Religione periclitante neceſſe eſt. Quemadmodum autem ſarto tectoqué interiori & externo Sacrorum cultu, ſupremo rerum omnium Parenti placemus, maculas cordium noſtrorum detergimus, illuminamur in mente, ex faucibus ſpecus illius infernæ eripimur, reportantes finem noſtræ fidei ſalutem animarum; à vinculo culpæ & pœnæ liberamur, ita quoque labefactari Religionem, non tantùm, cùm à fide deſciſcimus, at etiam operibûs noſtrîs præſcripto ſuo non reſpondentibûs, fateamur. Tunc enim mendaciter fideles ſumus, ſi, quod verbîs promittimus, factô negamus. Religionem reapſe aſſerimus, cùm, quod dicimus, operibûs complemus. Quantò vehementiùs perfectiùsqué Pontifices, Eccle-

ſiæ

ſiæ Paſtores, Magiſtri, Tutores, Judices, Duces, Patres, Catholici cætus Principes & Capita illæſam Religionem propugnant? propugnant certè docendo alios, fovendo alios, quosdam monendo, plectendo aliquos, miſerendo quorundam, ſuccenſendo nonnullis, omnes autem amando, protegendo, ac ſingulorum curam, ſtudium & ſolicitudinem habendo, tantâ ſapientiâ, exemplô, conſiliô, modeſtiâ, caritate, liberalitate, patientiâ, temperantiâ, conſtantiâ, ut non ſolùm, nec quidquam ei per flagitium publicum detrahi ſinant, ſed etiam pro ſe vindicanda præter famam temporalequé bonum lautiùs ipſum ſanguinem fundere parati ſint. Caput recenſitorum tempora Audacis Boleſlai fuerunt, quibûs non fremuerunt omnes gentes, nec exter-

ni

ni Principes contra Ecclesiam ſteterunt, ſed pace, belloqué Rex luxurians, hoſtili poto cruore laſciviens, allectusqué peſſimo ſuô exemplô Polonus civis, excurrens velociùs, quò direxerant majeſtatis veſtigia, pectore illo nive eborequé candidiore, non fide nota etiam hoſtibus & ſervata, non zelô Domini exercituum, qui comedit eos, & in cuneos phalangesqué adverſariorum præcipitavit; territo, in ſuperbiam elato, pulchrum triumphum, qui vincendo obtigerat; inſoleſcendo corrumpente, in ſcelera nefanda innominandaqué abacto, iverunt in petram ſcandali, in diſcrimen Religionis. Non fas, non jura, non animæ periculum coërcebant Boleslaum, in omne crimen diſſolutum. Namque fraude non proficiente doloqué, rapi vio-

lenter

lenter nuptas, constuprari liberas, fidei conjugalis oblivisci, litare cupidini, aliarum mamillas præscindi, aliarum uberibus catulos admoveri, infantes interfici, in dies perjurium perjuriis, scelus sceleribus addi ùt libuit, ita Principe præeunte licuit. Pro Deum! quantùm lacessita Religio? quàm nefariè laboratum est in eripiendas cœlo animas, sacris altaribus quidnam imminuit, quod esset magìs horribile atque pertimescendum? Hæc ego dum capere non possum, miror interdum fratres olim nostros, Polonos inquam & Catholicos nostros, ita cordibûs ringi & exacerbari, ita armatos libidine bellum virtuti indicere: lætor deinceps, & totîs viscceribûs tripudio, stetisse periculô vitæ despectô Assertorem Religionis STANISLAUM. Steterat Sanctus

Ponti-

Pontifex, dicamné coram Rege? dicam potiùs barbarô quamlibèt vocabulô; coram Tyranno. Homicidîs enim aut parricidîs, longè hostes fidei suo scelere ac pravitate anteponendos esse judico. Steterat indolens ad tantam pietatis jacturam, prehenditqué scutum fidei, in quo omnia tela inimici ignea extingueret. Cùm enim Gnesnæ ad patritium focum litteras gustâsset, ex fonte Lutetiæ Parisiorum & Juris Ecclesiastici perfectam notitiam, & omnis eruditionis ubertatem, tum claram illam sapientiam, non, quæ in verbis volaret, sed quæ constaret connexîs virtutibûs, exhausisset, nonné par erat hoc Religionis adjumento funestissimum illud grassantis flagitii incendium extinguere? par, imò potens erat. Qui è Stallo Canoni-

cali

cali omnibus exemplô præiverat, quo neminem modeſtiorem, humiliorem neminem, in verbis ad populum è pulpito faciendis promptiorem neminem, ad perſuadendum morum probitatem feliciorem neminem, ad coërcendam licentiam efficaciorem neminem illa tempeſtas habuerat, nonné pendente populo ab ore prædicantis, etiam caput Princeps cum membris propendere poterat? pependiſſet certè, nisì ſe gravitas malitiæ ad voluptatem levâſſet. Dii immortales! non intelligunt luxurioſi, quantum puritas ſapiat! Meminiſſe te decuerat Principem, quis adeò intrepidus ſiſtat in cauſa ſuorum? nonné STANISLAUS? STANISLAUS certè Pontifex nomine & officiô abſolutus. Bonis ille conſuluerat, correxerat errantes, foverat infirmos, exercuerat

rat provectos, inquietos arguit, diversis diversa exhibuit, sicut filios dilexit universos, conscriptis in sua Diæcesi viduis necessitates providit, Paræcias quotannis invisens, non vestium, sed virtutum exegit culturam, sobrius, irreprehensibilis moribûs, cautus rebus in omnibus, magnus sinè superbia, acer sinè iracundia, litium osor, justus & æquus, nunquam se præverti sinens, ferum ferreumqué Regem flectit aliquantùm precibûs, emollit lacrymîs, sed brevì ad genium & scelera reducem. Pudet effari crimen, cujus eluendi gratiâ in publico voluptuosum Pastor bonus admonuerat, laniena hæc saniora arriperet consilia, neque malîs suîs populo noceret, cui exemplô magìs, quàm peccatô offecisset. Accedit huc à STANISLAO interea pium ac sanctum

bellum

bellum indictum fuisse, cùm omnibus vitiis, tum præcipuè pravis, & veræ ac Catholicæ Religioni contrariis opinionibus, multos mortales, aut errore lapsos, aut ab aliis in fraudem inductos, in viam revocatos fuisse, obstinatos & pertinaces, ne eorum contagio bonis obesset; repressos legum habenîs, & omnes vires suas ad eos exterminandos collectas, ejusqué rei causâ nullam offensionem, nullam simultatem, nullum odium, nullam denique capitis dimicationem defugiendam, & non proficientibûs verbîs, verber Evangelicum in Principem extra suum ovile debacchantem præconceptum fuisse. Putarem ego divina oris Præsulei specie, ipsam sanctitatem & constantiam spirante territum fuisse Boleslaum, sed ab omni pietatis sensu ad

bel-

belluinam, neſcio, quam immanitatem degenerans, errori comitem pertinaciam, & inexorabilem quandam iracundiam admiſcens, furiîs agitatus, inſtar cerberi intra ſe ringitur, contumeliîs affectum Pontificem aulâ exeſſe jubet, conviciîs ſcommatibûsqué vexat, mitem STANISLAUM ejicit. Obſtupuere ad tantam ſacrorum Antiſtiti impudenter illatam injuriam Vratislavienſes, apud quos tunc cum Regia ſubſtiterat; cives, quibus Ille hac ratione Religionis diſciplinam perfici reſpondit. In hoc facto, quid magìs mirer? fortitudinem Illius inaccesam, contemptum ſui & vilipenſionem, quam unicè affectabat; ſummam illam & vix prædicandam æquanimitatem, & modeſtiam? ego pariter miror maximè aſſertam Religionem, hæc enim fons erat & ſcaturigo virtu-

tum

tum aliarum. Nihil jam dico de aliis Boleslai ſceleribus. Omitto domeſticas ejus ſordes, at jus iniquum in Bona Petri per calumniam anſamqué vindictæ STANISLAO objectum, nullus ſilentiô præterire poſſum. Rem itaque paucîs perſtringam. Dictam diem à Nepotibus Petri ad Tribunal Regium, perpendamus: deficere documentîs Præſulem non nos quidem dubitabimus, dubitavit tamen iniquitas. Fide itaque Conſanguineorum rei conſciorum in ſervilem timorem ſubmiſſa, majeſtati plus deberi, quàm innocentiæ imputante, vocavit STANISLAUS de terra veritatem, ſtupentibûs nimirum ad ejuſmodi prodigium omnibûs, triennalem in tumulo Petrum, vivum coram Rege Judice ſtitit. Quid ſibi hinc Religio? plura etiam me tacente

hoc

hoc unico exemplo credita, credendaqué nobis, plurima hæterodoxis tradidit ad resolvendum arcana. Æterna animarum immortalitas, corporum resurrectio vera, cælo priusquam recipiantur purgantes inquinamenta spiritus, possessio Ecclesiæ jus sacrosanctum, rapina, detentio, usurpatio facultatum Altaribus devotarum dicatarumqué, sacrilegium, Pontificis STANISLAI Numine cooperante talia patrantis sanctitas, vobis putridis membris hallucinantibus, ultro sese palpanda objiciunt. Intelligite hæc perditi homines, & aliquando sapite! Gravissima hæc sunt, sequuntur auditu graviora. Ruentem in pejus Principem iterum, iterumqué severiùs admonens STANISLAUS, nihilqué in obstinato proficiens, hucusqué dilato ferit tandem

fulmine,

fulmine, quod etiamsi causticum, pœnaqué medicinalis fuisset, iniquam cædem Pontifici peperit. In crudelem enim & omni caute duriorem inciderat Principem, qui obrigentibûs suîs, exoculatîsqué militibûs, ipse inauditæ nequitiæ primus author ac parens, ad Aras operantem STANISLAUM, nova tyrannide, effreni truculentia, omni vehementiori furore, infami facti enormitate, non modò parricida, at, quod detestabilius est; sacrilegus victimam cœlo immolavit. Metire crimen tuum Boleslaë, exulta in causa tua asserta per STANISLAUM Pontificem Religio! Superâsti quidem carnifex STANISLAUM, sed ita superâsti, ut morte deteriore perires, quàm Illùm perimeres. Vicit te STANISLAUS gladiîs impiorum peremptus, sed ita vicit, ut

præstabiliorem vitam Ipse consequeretur, quàm Illi adimeres. Superâsti audacissime! ne dicam sævitue! vì, vulneribûs, cæsìs disjectìsqué membrìs, vicit STANISLAUS veritate, vicit Religione, cujus mandata sunt vera & sancta, quorùm principium æternum Verbum & Veritas.

Nova jam mihi, meis quidem impar humeris, digna tamen vestrìs auribûs de STANISLAO in campo nato, & denato Martyre, morte sua Religionis Vindice, oritur dicendi necessitas. Fluxit ex vita Pontificis Religionis assertio, vita quippe ejusmodi, ut in ea semper reperirent boni, quod imitarentur, nihil reperire possent improbi, quod calumniarentur, exundet cum sanguine justo ex morte vindicatio. Atque hæc ut faciliùs in aures no-

stras

stras influat, revocemus in mentem, hominum nefariorum & à Religione etiam per scelus deficientium, animos, nec quoquam magis perfringi & labefactari posse, quàm permanente in defendenda fide usque ad mortem constantia, nec quidquam uberiùs in semen Christi militum concedere, quàm sanguinem Martyrum. Utrumque hoc STANISLAI cæde actum est perfectumqué. Cùm enim Caput in terris visibile tantæ rei atrocitate permotum, Poloniæ sacrîs interdixisse, Boleslaum diris devovisse, privâsse Regnô, ne quemquam nostrates Episcopi in Regem ungerent, nisì Româ consultâ sanxisse, socios sceleris, eorumqué posteros altaribus non admovendos decrevisse, totam insuper Poloniam peste criminum infectam, pœnas suæ

malitiæ juſtas ac debitas perſolviſſe, monumentô accepimus, tum primùm id authoritate & potentiâ Imperantis in cœlis, oſſa ſuorum cuſtodientis vindicatum fuiſſe, assentiamur oportet. Veniſſe tandem diem, quo diſcuſsîs flagitiorum tenebrîs lubricum vitæ decurſum ſuſpiciens, tantopere placitô Martyris exitiô, ad nobile pietatis ſtimulatus exemplum. ex lupo agnus, ex crudeliſſimo Cleri oppreſſore acerrimus propugnator Boleslaus, in vitam religioſam renatus eſt, diem inquam eum illuxiſſe novimus? Martyrem STANISLAUM, genere vindictæ, quod eſt ignoſcere: cultum Religioni turbine impiorum ablatum, reſtituiſſe inferamus. Felicem planè integramque cæſo in partes Pontificis corpore partam in Eccleſia victoriam, tot eximiîs auctam

auctam spoliîs, quot pœnitentium lacrymîs. Magnus enim profectus est lacrymarum. Plorando servus propitiatur Domino, filius mitigat Patrem, & asperam Matrem plorans mulcet parvulus, fieriqué non potest, ut liberi lacrymarum pereant. Periissent profectò, nisì virtus STANISLAI morte ipsa tentata, pluviam ex oculis pervicacium extorsisset. Nisì utique pulchram adeò mortem STANISLAUS obivisset, Ossiacum Boleslaum culinarium non habuisset. Nisì Pastor bonus pro grege sibi credito animam efflâsset, scelera adaucta sceleribus vixissent. Factum itaque est, ut mors justi malis in medelam cessisset, ut, unde perversi perierant, inde electi exemplum cepissent, ut viverent. Videre erat Regnum squalore confectum, impudentiam, dicam potiùs

ùs amentiam ſui Principis luere, jejuniis addici, cineri & cilicio indulgere, mœrore quaſſari, ad virtutem omnem; membrum fidei, iter perfectum arripere: o quantum vindicatæ Religionis argumentum! Deponi omne pondus & circumſtans peccatum, curſari ad propoſitum certamen, aſpici in Auctorem fidei & conſummatorem JESUM Chriſtum, nonné cumulatiùs ſervandæ Religionis erat? Imò verò mors STANISLAI nefarias Huſſi confutandi opiniones fundamentum erat. Hac Univerſalem Eccleſiam à nugis Heterodoxi hominis, facultates Templorum Evangelio contrarias effutientis, & pertinaciter uſque ad diras impugnantis, ſacer ille Patrum apud Baſilienſes congreſſus defenderat. Mitto alia, ne tempus lædam, & veſtræ patientiæ injuriam

juriam

juriam moliar. Nihil hôc loci de volucribus innocentiam STANISLAI tutantibus. Nihil de cœlo nubibûs nebulîsqué carnificinam prævenienate, cædem lumine comitante, sacrum digitum inter aquarum obscura indicante. Nihil de Reinchaldo morbi periculô erepto, de Assisio Adolescente vitæ restituto, nihil de aliis millenis. Flumina etenim vocem suam elevant, aquæ verba facientes audiantur. Rapidus noster Vistula Hebrææ infidelitatis sordes intra sua absorptas viscera, adversîs fluctibûs restituens, novô prodigiô adstantem hæreticorum pravitatem, non ita pridem à STANISLAO confusam fuisse refert, referendo de erroribus Heterodoxorum hucusque suo interventu Orthodoxæ Religionis auget triumphos. Triumphat Religio, exultant

cives,

cives; gaudet Poloniâ, res aſperas mitiores, lætas jucundiores, omnem tempeſtatem æquiorem vindicante STANISLAO, parteſqué noſtras ſalvas & illæſas tuituro. Triumphat verò ſub STANISLAO AUGUSTO Sapiente PRINCIPE, Nominis ſui Patroni Hærede. Triumphat ſub CAJETANO PONTIFICE unicæ Matris Eccleſiæ Aſſertore & Vindice, eo duntaxat diſcrimine, quòd Boleslaus STANISLAO Religionem propugnanti necem intuliſſet, STANISLAUS cum CAJETANO orthodoxam promovente fidem, publica celebrante fama, pro ſacris noſtris, ex illiſqué ſalute Patriæ exuberante caput devoveat, ipſam mortem obire paratus ſit.

Tu igitur Pontifex & Martyr glorioſiſſime STANISLAE, Qui primus in hac acie ſigna tuliſti, aſſeruiſti vitâ, morte vindicâſti Religionem, tuis inhærentes veſtigiis, tuîs precibûs corrobora, & quos inſtituis exemplô, ne deſtituas auxiliô, nec tuis in cœlo poſtulatis careant æmuli, quæ ſibi in terris ſalutària ſenſerunt inimici.

Secun-

Secunda

1768ô.

GAudeo, & animum pié affectum uberrima deliniri lætitiæ ſuavitate vehementer ſentio *A. I.* in hac loci amplitudine & Templi primarii majeſtate, apud ſapientiſſimos & æquiſſimos Viros, divinô conſiliô inchoatam laudandi STANISLAUM provinciam rurſus in me reincidere. Jure namque mihi gaudendum eſt, de cultu Pontificis STANISLAI exilientibûs gratîs ejus ſanguini parietibûs, triumphantibûs ſanctîs altaribûs, gaudendum nacto benemerendi cauſam, quam multò præclariorem eſſe acceptîs

bene-

beneficiîs cœlestis hominum Magister aliquando confirmavit. Nulla hìc animi mei aut in tam excellenti triumpho ancipitis, aut in tam communi lætitia dolentis ratio adferri potest. Reverentia erga Viros Illustrissimos, quibus demississimum à me debetur obsequium, in eos deinde observantia, quibus omnes vitæ meæ rationes ultro commisi, declaratur, quæ satìs intelligi ac perspici profectò nequivit, nisì cùm ardua ac difficilis res imperaretur. Postremò, quod primas sibi vendicat, hoc me etiam Stanislao Pontifici debere intelligo, ut, nisì omnes ætatis & industriæ meæ nervos in vita illius inculpata & satìs superqué ad exemplum cuique religioso homini proposita, quantum vires & latera ferunt; collaudanda contendam, sanè

existi-

existimer & dicar ingratus. Quod enim genus virtutis non modò dici crebriùs, sed etiam limatiùs cogitari assolet, hinc ultro profectum se mihi perdiscendum objicit, mente hæret, in fauces permeat, in linguam delabitur, evulgandum sese hoc loco, officii conditione, fidei teneritudine, beneficii memoriâ, gratitudinis exemplô, naturæ vî, lege communi præcipit & insinuat. Cùm utique evellendis ex hominum animis priscis erroribus, & depravatis longo usu moribus emendandis Pontifex noster totus incubuerit, cùm operum suorum sanctitas in orbem terrarum universum adeò disseminata ac propagata sit, ut nulla regio quantumvis recondita suavissimo candidissimæ illius virtutis splendore caruerit, poteſtné tenebris in-

sepulta

ſepulta latere, aut quotquot ſunt eruntqué per omne tempus hujus Academiæ membrorum, mentes, linguas, voces averſas experiri? meâ ſententiâ filiorum egregiè fidelium officiô, laudibûs & honoribûs affectô nunquam destituetur. Offeret nimirum ſumma geſtorum in vivis STANISLAI, quemadmodum impræſentiarum eam dicendi ubertatem cumulatè impertit, in qua oratio nemini deeſſe poſſit. Tametſi verò tam latè in omnes partes fuſa ſit vitæ ſuæ celebrandæ utilitas, ut cùm totius eloquentiæ omnes fontes facilè exhauriret, hos ſanè noſtros rivulos, ſeu potiùs pertenues Orationum venulas nullo modo patietur extingui. Dicendum ſiquidem erit Academicis de ſumma, ſingulari maximaqué STANISLAI virtute, ad quam in tanto gradu habendam

bendam quid fecerit? si hæsitaverint illi, dicet Ipse STANISLAUS, illi dicentis actores erunt. Atque jam ego ad rem propiùs accedo, & ex immensa virtutum STANISLAI amplitudine, quædam duntaxat seligo, viderique à Vobis Virum Sanctum compulsum ad Sacerdotium, Sacerdotem Sanctum abhorrentem à Pontificatu, Pontificem Sanctum volantem ad Martyrium, illud tremendum, hunc recusandum, isthoc cupiendum, tractu perbrevis orationis in omni studio contendam. Quæ quidem cùm statuo, rogo Vos Illustrissimos Viros & Hospites florentissimos, attendite pro incredibili vestra humanitate & ad ordinem meum aures adferte. Nam, ne vestra cogitatio fluat, & disjecta non habeat certum quid & præfixum, quod continenter sequatur, ego cohibebo

mihi

mihi furoris & amoris impetum, in viamqué insistam artis brevem, facilem, expeditam.

Si in muniis Ecclesiæ tanta est diversitas, quanta & propter varietatem pulchritudo, & propter pulchritudinem delectatio exoritur, tum profectò, in Sacerdotio officium, in Pontificatu dignitas, in Martyrio excellentia, in officio non perfunctoriè tractando plena timoris fragilitas, in dignitate complexu manuum fovenda, nimiùm gravis sedulitas, in vera gloria ex tormentis consectanda, ferox asperitas, admirandum in modum discriminata sunt. Sacerdotium divinis usibus deputatum allicit studia, voluntates excitat, & metum incutit. Pontificatus eminendi cupiditatem suaviter pertrahit, & plerumque grande minatur periculum. Mar-

tyrium

tyrium ſpes fortes magnanimitate atque conſtantiâ demulcet, & amarum quinimo pluſquam felle conditum eſt. Sacerdotium vitam populorum Sancti Iſraël ducit ad patriam, feſſis aut lapſis in via ſalutarem ſubminiſtrat medelam, ſacra puſillis inſtillat, cuſtoditqué Dei ſcientiam & legem à ſe requirendam: quæ hic ſpectanda ſolers aſſiduitas, quæ puritas animorum, quàm ſancta conſuetudo, quàm non intermiſſa doctrinæ Catholicæ prædicatio? Illecebras tot Pontificatui connatas eſſe velut fætus quoſdam, nemo eſt, qui ambigat, quot conſenſu omnium aliqua ætati cuilibet animi relaxatione permiſſa in ſtudio Artium copioſiùs imbibito, in eruditione affatim exhauſta, in ſapientia laboribûs comparata, jure naturæ ſuffragante, jure virtutis a-

periente

periente viam feruntur ad culmen testimonia, at simul quantò altiùs in fastigium contingit erigi, tantò curîs gravioribûs onerari, eisqué ipsis populis mente & cogitatione usu venit subjici, quibus dignitate præponi concessum est. Quantum hìc in omni motu & gressu & universis operibus moliminum sustinendum? quibus cum difficultatibus conflictandum? quæ ineundum pericula? ut in operando diligentia, eminentia in imperando, in laborando præcedentia, in contemplando sapientia, in habitu, in actione, in verbo, irreprehensibilis morum in publico habitorum sublimitas elucescat. Certè testem fidei videri necesse, præbentem testimonium victoriæ non regnando, sed moriendo possessæ. Optandum hoc sanguine descriptum testimonium, in

quo

quo cruciari, torqueri, damnari, atteri, probatio est innocentiæ Sanctorum, iniquitatis Tyrannorum. Perimi videlicet Martyrem, est tanquam horto florem, tanquam agro arborem, tanquam militiæ pugilem inseri Ecclesiæ, terrenamqué Hierarchiam distinctiorem reddi, perempti quidem summo bonô, perimentis pessimô opprobriô. Sed scindi corpora, ut ex illis nascantur Martyres, non una nocte veluti ex putredine fungis, aut ex fimo vermiculis, diuturno atvero tempore, vitæ in tribulationibus perseverantiâ, sanctitate inhærente animo opus esse conclamatum est, quæ num corporis passibilis aversio sit? ipsi ex hoste videritis. Videtis proinde perfecta, ùt in vobis est; ratione permoti ad Sacerdotium, Pontificatum & Martyrium sinè culpa

duntaxat invitari. Movemini ſiquidem mentis lumine tam clarè, & pondere tam nervoſè, ut, qui contra ſenſerit, planè videatur vel cæcus in perſpiciendis claris, vel malitioſus in perfringendis certis. Totum id in STANISLAO tam breviter expedio, ut integrum videar tangere, non dicere.

Mitto Illius natales Equeſtres cunas, conſultò prætereo à Vielislao & Bogna naturâ ſterilibus, fæcundis virtute, annô conjugii triceſimô, operibûs miſericordiæ, ædium Deo ſacrarum erectione dotequé præcipua, cæterîs ſimulac pietatis exercitiîs cœlô STANISLAUM impetratum eſſe lubens prætereo. Mentem in puerum defigo, & ſanctam ac Religioſam naturam in ſe latuiſſe, improbus ſim, nisì videam. Quid erat obſecro molles culcitras deſe-

deseruisse? & in nuda humo, aut palearum stramento dulciter cubâsse, indulsisse jejuniis, manus tenellas in crucem collegisse? præterquam vitam ad Evangelii leges & effata Christi compositam, non de illis solùm, quos amicitiâ, aut cognatione conjunctos haberet, verùm etiam de inimicis, de ignotis, & alienis bene merituram traducturum significari. Ad hæc jam patiente ætate, artibus liberalibus docile ingenium, cupidum litterarum, & præproperum, memoriam tenacem ita à STANISLAO admota fuisse relego, ut cum animi cultura, mores sui modesti, verecundi, ingenui ab omni otio, ludis puerilibus & petulantia alienissimi eluxissent. Spectatus est insuper in gestibus, in actionibus, in sermone, in vultu STANISLAI tantus pudor,

tanta modeſtia, tanta ad virtutem propenſio, ut nec joco, nec riſui indulſiſſe effuſiùs notaretur, & cùm liberam ageret cum rivalibus vitam, ſolitariam duxiſſe diceretur. Refectionis & quietis tempora inediâ & vigiliâ caſtigavit, in quibus parcô & tenuî ſomnô cibôque contentus, cætera in litteris perdiſcendis expendit, reliqua, quæ ſupererant, in oratione abſumpſit. Compta ſua adoleſcentia, ſenum authoritate imbuta, blandimenta corporis perhorrens atque devitans, & pejùs angue fugiens, præceptis Philoſophiæ, Canonico & Civili jure, ad extremum præclariſſimâ Theologiæ ſcientiâ apud Pariſienſes maxima cum laude inſtituta, ſummam eruditionem ſupra ſuam conſecuta menſuram, humilis, temperans, devota, avaritiam & mundi petulantiam

exoſa,

exosa, calentes suas flammas abstinentiâ & carnis maceratione restinguens, ab omni illecebra, ab omni pravo contubernio & contagione custodita, in corpore mortali cœlestium naturam æmulata fuisse videbatur. Non somnô ad otium & quietem, non amænitate locorum ad delectationes, non pecuniâ ad ludos, non sui ipsius amore ad pravitatem, non libertate ad licentiam, ad audaciam, ad furorem pertrahi unquam se patiebatur. Itaque omnes tunc Sorbonici Stanislaum Polonum, sicut aliquem non ex adolescentum genere communi, sed ùt summum juventutis honorem ac illustre decus, non modico tempore, sed integrô septenniô intuiti, ad laureas Doctorales aut in Jure Canonico, aut in Theologia capessendas ultro invi-

invitabant, ac etiam crebriùs hortabantur, & reluctantis conatibus isthis, à Magisterio & cathedris Doctoralibus declinantis Sancti Adolescentis, profundam humilitatem, & abjectissimam de se ipso opinionem, satìs demirari nequiverunt. Accessit tantæ humilitati, Evangelica perfectio, cùm in hæreditate locupleti morte utriusque Parentis in se devoluta, in pauperes & in opum turbas pia & liberali erogatione distributa, tum in cupiditate arctioris ingrediendæ Religionis, ita animô concepta, & in pectore jugi meditatione impressa, ut sublimium magistratuum & honorum calcatîs illiciîs, & omnibûs terrenîs posthabitîs, nudum Redemptorem, nudus redemptus sequi proposuerit. Cognoscite nunc Virum Sanctum, omni virtutum decore fulgidum,

gidum,

gidum, atque in maximis pietatis caufis re ipfa & ufu quotidiano exercitatum. Arbitramini laxato curſu vitam Clericalem à STANISLAO arripi? non arripuit. Avulſus ab uberibus voluptatum, ultro ſe forſitan in ſortem Dei eligendum ſiſtit? non. Eruditus ad diſciplinam Eccleſiaſticam, corroboratus ad laborem, ad pericula ſolidus, ad omnem caſum & eventum interritus, ambit reapſe ſacrîs initiari? non. Exhauſtô ærariô in pupillos, abactîs pecoribûs in viduas, diſpersîs terræ frugibûs in xenodochia, vicîs & villîs venditîs in mendicos, vacuus ære, curîsqué ſolutus ſecularibûs, volat noſtrâ ſententiâ ad Sacerdotium? non. Pudicitiâ viator quidem, ſed à terra ſublevatus, Angelorum conſocius, Deo coniunctus, de terreno cœleſtis, de carneo ſpi-

ritualis

ritualis effectus, populo sancto præesse sufficiens, præceps altari vacare contendit, ut de altari vivat? non. Quid itaque? hæret STANISLAUS, & de via spirituali, quo sit modo ineunda, assidua perplexitate distinetur. Ea contemplatione distentum & intra se ruminantem subaudio: grandis dignitas Sacerdotum, sed grandis ruina, si peccant. Lætamur ad ascensum, sed timeamus ad lapsum. Non est tanti gaudii excelsa tenuisse, quanti mæroris de sublimioribus corruisse: nec enim solùm pro nostris delictis reddemus rationem, sed pro omnium, quorum abutimur donîs; & nequaquam de eorum salute soliciti sumus. Restat itaque securior privata & cænobitica vitæ ratio ad eligendum potior, quæ dudum fu-

it in

it in ânimo prior. Altera ex parte, acceptum occulere talentum, ſibi duntaxat, aliis ſolicitudine dimiſſis proficere, non ſatìs Viro ſanctiſſimo, ſalutiferum, neque ampli meriti videbatur opus. Profectò electio iſthæc voluntatem habuit non turpem, hæſitatio etiam neceſſitatem honeſtam. Ergo hæc duo caruerunt omni crimine, ſpiritualis vita, ſeculare Sacerdotium Divino afflante Numine per *Lambertum* ſpectatæ virtutis Pontificem, raræ in Deum religionis Virum, comem atque frugem, nutantibûs & ambiguîs colluctanti deſideriîs STANISLAO commonſtratum eſt. Accerſitus itaque, admonitus, adhortationibûs territus, in Collegium Canonicorum adſcitus, & quod caput rei eſt, Vir ſanctus ad tremendum Sacerdotium vî Numinis per alios

non-

nonnunquam trahente compulſus.

Cogitemus jam litantem Deo victimam STANISLAUM, ſapientiſſimum & perſpicacem in omnibus, mille ex omni parte oculos habentem, quibus non ſolùm ſibi, ſed etiam populo proſpiciat, fingamus in mentibus noſtris Sacerdotem. Et ſiſtit ſe in officio Sacerdos habens ſtolas cum tubis, exteriùs albas, interiùs candidas, & ultra, quod dici poteſt, ingrediens ſinè macula, in tabernaculo Domini habitans, ambulans in via immaculata, miniſtrans Deo Sacerdos Sanctus. Nec arrogantiâ elatus, nec indignatione dejectus, oculîs palpandus, exteriùs contrectandus manibûs, ultro fuit in vivis, ultro ſit in mentibus (abſit cogitare) mortuis. Operis & corporis honeſtatem in eo penſemus. Frenabat linguam, ne

ela-

elatiùs, quàm par ſit, aut petulantiùs quid auſa fuiſſet, vultum componebat & ſerenabat oculos, ne quid ſuperbum aut lubricum præſetuliſſet, claudebat aures, ne improborum conſiliis, ſermonibusqué patuiſſent, manus continebat, ne fractiùs aut inconcinniùs geſticulâſſet, graviter, conſtanter, & moderatè inceſſum dirigebat, ne quid molle, aut languidum, aut concitatum incurriſſet. Profectò exteriùs modeſtiâ virtute ſibi in habitum converſâ, quæ mortales ad urbanitatem, decorem, humanitatemqué totos fingit ac componit; Sanctus & impollutus Sacerdos. Neque verò intra corporis fingendi limites ſe continuit, aſſurrexit altiùs, animumqué ipſum, ùt & corpus egregiè conformavit. Puritas in eo cordis nec venialiter labefactata

inſur-

insurgentes vehementes & turbulentas cogitationes, ne paulatim crescentes grassarentur deinde ac luxuriarentur, compescuit, coërcuit, & planè animi imperio, corporis hoc servitium subdidit. Innocentia hæc, firmitatem & patientiam, charitatem & amicitiam, sinceritatem & obedientiam, stabilitatem & perseverantiam, felicitatem & affluentiam, & verbi prædicandi veritatem in STANISLAO peperisse visa est. O concio præclarissima, o verbi Divini & in hoc primario Templo & in tota amplissima Diœcesi salubriter prædicandi veritas! quam ore STANISLAI tonante, non periit lex à Sacerdote, nec consilium à sapiente, nec sermo à Propheta. Præivit Præco Divinus exemplô, ut viam arduam virtuti complanaret, & sponte audientes se-

que-

quebantur. Factis hortatus priùs, quàm præceptionibûs, cœlestem vivendi formam non verbîs pinxit tantùm, sed moribûs expressit, & velut oculis objecit, statimqué spectantium animos ejus amore succendit, ut sicut Sacerdos, ita fuisset populus. Par itaque fuit Pontificiæ authoritati, par fuit, sed humilitate duce imparem se se judicavit. Certatum est à *Lamberto* Pontifice piissimo, ut hîs fascibûs potiretur, illustri sanctimoniæ fama ingeniiqué magnitudine celebris STANISLAUS subterfugit, & in palmam invitantis nullo pacto poterat induci. Itum est in vota à frequentissimo Prælatorum Canonicorumqué ordine, ad sua de sufficiendo novo Pontifice comitia confluente, & STANISLAUS ivit ad preces à concordibus suffragiis se liberaturas.

Versa-

Versabatur in omnium pectoribus ea inspiratio, is sensus, ea voluntas, neminem STANISLAÔ Pontificis digniorem honore, at Sanctus Sacerdos supplex ad genua vota ferentium ore suo tantâ eminentiâ indignum se fatebatur. Parùm fuit in ferendis laboribus patienti, in adeundis periculis alacri, in tolerandis adversis constanti, in spernendis voluptatibus robusto, in vincendis cupiditatibus forti, in conclavi se excusavisse, plùs erat obivisse singulorum domos, pulsavisse januas, lacrymas cum verbis effudisse, liberarent se hac dignitate ardenter petivisse. Urgente tandem incredibili multitudine è Cracoviensi urbe, ex vicinis oppidis & vicis Cleri convolantis, militarium, civium & agrestium una voluntate, eodem labio, compari

&

& concinna vociferatione & acclamatione, STANISLAUM dignissimum Episcopatu probante, felicem fore Ecclesiam, felicem Civitatem, felicem populum tam inclyto Pastore, celebrem tam insigni & glorioso Sacerdote testificante, sanctitatis & exploratæ doctrinæ Vir secundùm cor Dei, vas electionis admirabile, eloquiô & sapientiâ plenus, legis utriusque peritissimus, operibûs celebris, rerum magnarum assiduo usu persunctus, Pontifex proclamatus, pluribûs diebûs tantæ auctoritati reluctatus. Quæ sint virtutes hinc colligendæ? probè nôstis, ego ne nimis urgeam & commovear, profundo satìs & verecundo pudore assensum electioni præbuisse, Divinæ voluntati per tot ora & suffragia humana patefactæ non refragatum fuisse, Sacerdotemqué Sanctum ad Pontificatum,

catum, diſſoluto illo præſertim tempore, & per nefas rebûs fidei tractatîs recuſandum, acceſſiſſe, me quoque obſtupente & demirante frequentiùs, tametſi minùs probatum, ſatìs tamen ſit dictum.

Atque quod reſtat ſupremum, à recuſando per ſummam humilitatem Pontificatu, ad martyrium immenſo concupitum amore venitur. Deus bone! Sacerdoti trina ſui officii parte abſoluto, Pontifici vitam omnem ſuam omnesqué mores atque actiones pervigili cuſtodia & caſtigatione, arctioribûs quoque continentiæ vinculîs conſtringenti, in normam Religioſorum redacto, ciliciô, quo in diem mortis amiciebatur, ferreìs catenulîs, aquâ & cinere carnem ſpiritui ſubjicienti, in omni genere virtutum ſummam perfectionem adepto, ſpe magno; fide

fide firmo, humilitate ſublimi, puritate inſigni, abſtinentiâ admirando, egenorum, pupillorum, viduarum, Patri, ſeria indagine, defectus, deformitates in Miniſtris Eccleſiarum, in plebe, benigna ſedulitate corrigenti, exſtirpanti errores & ad recta formanti, innocenti, impolluto, ſegregato à peccatoribus & excelſiori cœlîs facto Pontifici, nihil reſtabat, nisì Martyrium. A puero ſe ad illud probaverat, à primordiis ſui Epiſcopatûs libenter illud patiebatur, volavit hoc ardore incenſus ad hunc gloriæ ſcopum, ad hunc excellentiæ terminum. Cùm enim inter epulas eſuriret, inter multos pretioſoſqué veſtitus algeret, inter divitias paupertate premeretur, quidquid mundus in maligno poſitus deſiderandum obtulit, in illud appetitu nullo moveretur, nonnè

grave Martyrium erat? erat egestas bene tolerata propter Christum, sinè ferro quidem & sanguine, verum tamen Martyrium. Huc tandem pertineant fustes, quibûs sanctus adolescens altioris capessendæ doctrinæ gratiâ, scholas Gnesnenses aditurus in Villagio Borowno à militibus canina rabie incensis in corpore nudo cæsus, dirîs excruciatus, contumeliosè ejectus, patientî autem animô, & absque omni murmure & querela flagella hujusmodi & ludibria perferens, in campum vicinum egressus, in saxo genua figens, veniam dari carnificibus suis precabatur. Finitimum huic proximumqué est illud, STANISLAUM Pontificem consecrandæ Brzeznicensis Ecclesiæ munus peracturum ab Equite Joanne de Brzeznica jus hospitii violante; per injuri-

am

am pulsum & ejectum fuisse, convitiîs, improperiîs & scommatibûs affectum, verberibûs suorum familiarium, cæde obsequia sibi exhibentibus crudeliter illata vexatum, noctis primas in fame, secundas in oratione, tenebras cum Sacerdotibus in prato villæ vicinæ exegisse, resipiscenti militi, & cum pudore reatum profitenti, suæ suorumqué violationis crimen, non satis ex animo remisisse, at quoque ore proprio se se contumeliîs & illusionibûs non moveri ad injuriam, verùm firmari magìs ad caritatem adjecisse. O patiendi ardorem! quid quæso vehementius, atque adeò qùid amabiliùs Pontifici nostro te fingi potuit? Nihil certè Illum ab hoc igne remorabatur, quin eo, totus calesceret, totus flagraret, totus liquesceret. Non minæ, non

 enses,

ēnſes, non bonorum direptio, non cruces, non flammæ, non beſtiæ inſilientes paratum ad omne ſupplicium terruerunt. Dejectionem ſuam ad incitas, cauſam futuri triumphi, infirmitate fortitudinem, lapſu palmam, ruinâ venturam victoriam autumabat. Sed ne fortè ex multis rebus geſtis STANISLAI Pontificis, rem unam pulcherrimam tranſiliat oratio, ad ſingulare certamen veniamus. Jus datum fuiſſe ſceleri ſub Boleslao ejus nominis ſecundo, in ordine, ex quo Polonorum res, ad Regum jura beneficiô Ottonis Tertii Imperatoris ſunt converſæ, quarto, Rege ob ſingularem fortitudinem, belli ſtudium, armorum uſum audacis nomen ſortito, ne aures innocuas offendam, non repeto. Nihil hìc de libidine, ſtupro, inceſtu, nihil de

mole

mole carnis in pessum ruente, non uno genere luxuriæ contenta, assiduîs gradibûs in præceps lata, nihil de raptu, scortis, comessationibus, unguentis, balneis utroque sexu intermixtis, pellicatûs crimine, relegata à Regno æquitate, justitia, clementia, ipso etiam rationis usu pulso, ad catellos uberibûs mulierum, ad infantes rumîs canum ablactandos descriscente, Deo quoque inconsideratiùs ipsîs pecudibûs atque dementiùs neglecto, nihil. Pudet dicere tam exitiosa delicta, tam magna scelera, tam fæda turpiaqué apud cives sui capitis sequaces invaluisse, ut duntaxat à nostratibus biberetur, ederetur, vomeretur, thorus alienus violaretur. Nihil de nutantibus reliquis nostratium Episcopis, trepidantibus Regiis Confessariis, perhorrentibus Senatoribus & Equitibus

corpo-

corporis ſuæ majeſtatis cuſtodibus, nihil de precibus occultis, admonitione publica, comminatione ſeria, exprobratione Stanislai ſevera, perſtrepente cachinnîs aula, ſrendente, cavillante, & ſupra quàm cogitari poteſt, innocuum Pontificem, officii ſui tenacem ejiciente Principe. Nec utique ſingula enumerantem ſinè lacrymis & gemitibus tanto ſcelere elicitis ferretis, neque ego ad omnia ſaltim à limine tangenda intentus extra me rapi non poſſem. Veritas de terra exorta deficientibûs filiîs hominum juſtitia patrimonio hujus ſacri Templi de cœlo proſpiciens, Stanislai piam fortitudinem teſtantur. Gladius Evangelicus ſinè metu in hoſtem fidei vibratus, alienigenam moribûs, ſuum vî regnandi, amentem, flagitiîs corpus & animum

con-

contâminantem confecit. At si confecisse potuit? qui degenerans in ferrum, caput Pontificis disrupit, confecit. Pugna illa horrenda fuit, sed percupita à STANISLAO fuit. Non fugit eam, ast stetit ad altare propitiationis suis pro hostibus victimam litans STANISLAUS. Rex ipse lictor sclopetarios, gladiatores, hastarios, tubicine perstrepente, clamitante populo, quinimo indignante duxit, ad ternum emissorum militum in sacro pavimento collapsum, Archidiaconus monuit, adstantes Canonici suadebant, Acoliti sibillabant sacrificantem discedere debere; non discessit. Gladius sibi è manu regia imminuit: non evolavit. Cecidit pro grege suo victima, Vir Sanctus ad Sacerdotium tremendum compulsus, Sacerdos Sanctus à Pontificatu nonnunquam recusando

abhor-

abhorrens, Pontifex Sanctus ad Martyrium concupiſcendum volitans cecidit, & per ſanguinem ſuum, tres ad laureolas adnatavit. Macte tua ſorte Pontifex Martyr STANISLAE! ærumnîs fractos, vitiorum lenociniîs depravatos, avulſiſti Viator à voluptate, invitâſti ad immortalis vitæ decus, erudiiſti ad diſciplinam, corroborâſti ad laborem, firmâſti ad pericula, interritos ad omnem caſum & eventum reddidiſti, nec adversîs minùs rebûs, quàm proſperîs præſtitiſti invictos. Age CAJETANUM PRINCIPEM ſuo gregi, manus ad Superos tollenti ſalvum & incolumem quantocyus reſtitui. Perauguſto Prælatorum & Canonicorum Cætui ſuis in votis opitulare apud DEUM Pontifex. Academiæ noſtræ, cujus Patrem, Tuum Concivem de incen-

dio

dio urbis restinguendo solicitum è cœlis visibilis consolabaris, Clero universo, mihi quoque ex hoc numero indigno assistricem gratiam, Vir etiam ante Sacerdotium Sancte, à Deo, in Quo omnia vides & audis, impetra. Age sentinam et colluviem in Patria tua grassantem, extingui. Nihil habet, nec fortuna tua majus, quàm ut possis, nec natura tua melius, quàm ut velis conservare quàm plurimos. Longiorem orationem certè gesta tua postulabant, extenuatum hoc tamen tempus breviorem. Rogamus Te insuper & enixè precamur, ut, cùm salutem omnibus in terris hospes à Deo obtinueras, eandem cœlorum inquilinus toti Catholico orbi non defuturam deposcas.

Tertia

Tertia

1769nô.

QUoties animô mecum reputo A. l. cùm immunitatis libertatisqué Sponsæ Christi Ecclesiæ, tum temporum eorum seculi undecimi, pravîs proverbiîs, scelere, opprobriîs, hæresî, sanguine in se furentium statum, ut fortitudinis, innocentiæ, virtutis illustre specimen, ac facinus omnium linguîs ac sermonibûs toties decantatum retractem, fieri non potest, quin inter STANISLAUM Pontificem, & Regem Boleslaum, justam me nancisci causam existimem. Quamvis enim bellè noverim Ecclesiam beneficiô Domini triumphare de suis cladibus; ingravatam ve-

xatio-

xationibûs proficere, afflictionibûs augeri, ſanguine Martyrum fœcundari, triſtitiâ erigi, anguſtiâ dilatari, fletibûs paſci, fame refici, & inde potiùs creſcere, unde mundus deficiat? in tantis nihilominus talibuſqué Boleslai audacis criminibus, ita mihi, cum ſuo quòndam Paſtore, contra publicum ſcelus defendenda eſt, ut omni jure, omniqué æquitate vindicata cum Pontifice STANISLAO videatur. Itaque ne animis veſtrîs diutiùs hæreatis, ad rem ipſam veniamus. Inducam vobis coram STANISLAUM Reum, Accuſatorem Boleslaum & Judicem. Triumphabit innocentia Rei, Accuſatoris & Judicis iniquitas ſuccumbet. Neque vos mirari velim iſtiusmodi orandi genere me hodie ad vos uti decreviſſe. Juſtiſſima hæc mihi cauſa ad ſe ſuſcipiendum

cognita

cognita eſt, Vobis & ad diligenter crimen inveſtigandum, & patefactum improbandum deteſtandumqué videbitur. Favete animîs tantæ rei cauſæ, mequé tertiò ex hoc loco verba facientem, bonâ, ùt assoletis; veniâ, rogo, audiatis.

Multa mihi neceſſario *A.I.* prætermittenda ſunt, ut poſſim de iis rebus, quas in meam fidem ſuſcepi, breviter & ad veſtrum delectum accommodè dicere. Suſcepi enim, cauſam inter STANISLAUM & Boleslaum, inter probum & ſceleratum, inter Sanctum & ſacrilegum, inter Reum innocentem, & Judicem ſimulatque Accuſatorem iniquum. Cauſam inquam amplexus ſum univerſalis Eccleſiæ, omnium Pontificum & Sacerdotum, totiusqué Catholicorum cætus, non de privata aliqua injuria, aut communi crimi-

ne,

ne, ſed de nefario inauditoqué ſcelere, de Republica Chriſti Fidelium universa, de salute omnium noſtrûm, conjugum liberorumqué populi diſjudicandam. Puto autem tum denique, eam rectè examinari posse, si non modò Reus, ſed etiam Accuſator idemqué Judex, plurimis iiſqué fide dignis cum teſtibus, multorum hominum conſcientia, litteris, manu, signo, confessione in mentis veſtræ judicium adducatur. Illi enim eſtis, qui vim ſceleratorum coërceatis, tenuiores à potentiorum injuriis defendatis, ſuum cuique tribuatis, juris æquabilitatem inter omnes proportione tueamini. Ponite igitur ante oculos miſeram illam quidem & flebilem Eccleſiæ ſpeciem, ſed ad incitandos animos veſtros neceſſariam, & miſſo Michaëlis Cerularii ſchismate,

mate, orientalem diſciplinam̃ ab
occidentali penitus divellente, Be-
rengarii Sacramentariorum parentis
miſsîs erroribûs, Manichæorum in
cæno libidinum immerſorum, par-
vulos ex nefando thoro progenitos,
accenſô rogô Scythica crudelitate
comburentium non retecta hæreſi,
Bogomilorum cum Sabellianis, u-
nam eſſe duntaxat Perſonam San-
ctiſſimæ Trinitatis, & multa de Fi-
lio & Spiritu Sancto, necnon de
Angelis ridicula commenta vendi-
tantium ſectâ hunc in locum non
revocatâ, neque ad opprimendam ſa-
crarum electionum libertatem, &
ad ſacrilegam Epiſcopatuum Abba-
tiarumqué nundinationem uſurpato
ĩnveſtiturarum abuſu, cùm per re-
liquos ſeculares Principes, tum per
Henricum furorem ac tyrannidem
exercentem, ſacra profanantem, Sa-

cerdotes

cerdotes & Pontifices, aut trucidantem, aut in vincula conjicientem, maximopere tento, partu inquam hoc furiarum in Catholicos desæviente seculi undecimi non ampliùs memorandi rejecto, STANISLAUM & Boleslaum ante oculos vestros ponite! Alterius consilium, ingenium, humanitatem, innocentiam, magnitudinem animi in Ecclesiæ sanctitate amplificanda quis ignorat? Alteri ab adolescentia pro deliciis crudelitas fuit, deinde ea libidinum turpitudo, ut in hoc sit semper lætatus, quòd ea faceret, quæ sibi objici ne ab inimico quidem possent verecundo. Alter à vitiis improbos avocare, fæditatem flagitiorum ostendere, ad virtutem ardenter adhortari, omnem Cleri Ecclesiæqué statum præclarè componere, & bonîs moribûs ac virtuti-

bûs

bũs oves pascere, & ad gloriam coeli immortalem, ad Deum Optimum ac Maximum mentem mortalium excitare conabatur. Alter expilare innocentes, fastu & superbiâ, lasciviâ atque lubricitate supra cæteros homines in venerem sumptuosîs effundi, in virgines continentes & matronas malè temperari, minuta in populo delicta acerrimè punire, carnem, ac quoquomodo cogitari potest; libidinem sectari, scurris & assentatoribus credulas aures præbere, iracundiâ & furore præcipitem se interdum in suppliciis præstandis agere, consueverat. Hinc inter utrumque ortam fuisse litem scitote, bonâ quidem causâ STANISLAI, pessima Boleslai actione. Cùm enim Rex carne tumultuante vinceretur, multiplici deditus obscænitati noctes & dies in

præceps

præceps ferretur, Deô quoque neglectô, & humanâ reverentiâ repudiatâ, gressus suos à recto alienaret, in thalami secreto à STANISLAO conventus, omnibûs arbitrîs exclusîs, in quàm fœdum, & abominabile vitium prolapsus sit! quantæ & quales de sua improba vita sugillationes ferantur, quibûs perstringatur maledictîs atque execrationibûs edoctus, ut impetus carnales subigeret; passiones comprimeret, sorte proprii matrimonii uteretur, reliquarum mulierum puritatem & nitorem non infuscaret, rogatus, nihilô tamen correctior, Christinam Bużenii conjugem raperet, iterum, iterumque coram personis de Statu utroque in rem adhibitis, coram aulæ Cubiculariis, de adulterio, de incestu, de scortis reprehensus, quid non egit? Quam facem, Dii immor-

E tales!

tales! quod facinus, quod ſcelus, quem gurgitem, quam voraginem non meditabatur! Quid eum non ſorbere animô? quid non haurire cogitatione? ut innocuum Pontificis bibat ſanguinem, cenſetis? Animadvertite jam ingenium & fidem hominis, nodum quærentis in ſcirpo, Regiam deponentis perſonam, & induentis hoſtilem. Quàm iniquum eſt, Petri militis nepotes contra Pontificem concitare, pellicere & coarmare ad litem intentandam, rem vulgatam & notiſſimam, in contentionem adduci præcipere! concitavit Boleslaus, pellexit, coarmavit, ſingulos teſtes, ex quibus cauſæ probandæ pendebat victoria, ab officio ferendi teſtimonii deterruit, & omni ope atque ſuffragiô, villam venditam à ſorte hujus Eccleſiæ per nefas abſtrahere adniſus

eſt.

eſt. Apparatùm proinde Tribunal fuit, quamprimum nepotes Petri & ſuam expleturi avaritiam, & Regis odio morem geſturi, calumniosîs commentîs malam in poſſidendo fidem probaturi, STANISLAO Pontifici diem dixerunt. Et verò inſtauratô judiciô & purpuratorum ordine in dextra lævaqué Regis conſiſtente, urgente Actore, reſpondente Reo, expoſitô cauſæ meritô, auditîs teſtibûs, STANISLAI Epiſcopi in perſona comparentis cauſa imprimis agitur. Omnibûs nervîs Judex, Actor, teſtes conniτuntur, ut ſua potiùs malignitas, quàm juris & juſtitiæ æquitas valere poſſit. Accuſator ſuaſu Judicis allectus, inter depoſitam querelam convitia in Pontificem, inſontem effutire non erubeſcit, Judex ad augendas vexationes nutu, oculorum deſignat, inter ſcommata,

 ludi-

ludibria, & improperia tacens, hilaritatem geſtu profert & vultu. Teſtes ex ſuis mendaciis vincendi fiduciâ, & obtentô videntur exultare triumphô. Judex degenerat in Actorem, Actor in Judicem, teſtes in utrumque deſciſcunt. Quid putàtis gentium terrarumqué contra jus fasqué omne fieri? factum eſt in Polonia. Reus, ſed facto ipſo innocuus, venditionem & emptionem legitimè cum Petro milite, dum adhuc viveret, factam, celebratamqué, plenariam quoque æris conventi ſatisfactionem opponens, cachinnîs exploſus eſt. Ventum ad teſtes ex parte Rei; pudet me hoc nomine in Sanctum uti Pontificem; ventum certè eſt ad nefarios & perduelles, gratiâ, pecuniîs, & exſpectatîs honoribûs corruptos, formidinem, quæ pectora eorum, ſemel

mel

mel pervaſerat, excutere non valentes. Relevaturi Citatum, plauſerunt Judici & Actori. Vergebat in occiduum dies, & propter minas verborum, propter lucra in capeſſendis ſubſelliis promiſſa mentiebantur. Periclitatio juſtæ bonorum Eccleſiæ cauſæ prope horam imminebat, & omnes dicendam veritatem tardabant. Conſpirârunt in calumniam inſontis, capita moverunt, ſibillârunt, ſtriderunt dentibûs, & parti judiciariæ adhæſerunt. Quid tandem STANISLAUS, omnî conſiliô, omnî advocatô deſtitutus, omni teſte privatus, coarctatus undique, & cauſam ſuam periclitari videns, quid egit? qua via & ingeniô caſſes & nodos impietatis ſibi conſtructos diſſolvit? Non fluctuavit ancipitî animô, vultus rubore non ſuffuſus, orationi aliquanto tempore incumbens,

bens, omnem ſuam fiduciam in Divino præſidio reponens, Spiritu Sancto, qui in ſuo puriſſimo pectore aſſiduum ſibi domicilium ſtruxerat; afflatus, re nova & incredibili in ſuæ cauſæ defenſionem, miraculi ſtuporisqué pleniſſima, plùs forſitan ex imbecillitate credentium apud poſteros admirationis habitura, quàm fidei, hîs verbîs Regem & univerſum ſuum concilium, negando propoſita Actorum, & teſtes rejiciendo convenit. Quandoquidem, inquit; nihil opis, nihil præſidii, in viventibus eſt, quando apud filios hominum pro juſtitia impietas, pro veritate iniquitas, pro rectitudine ſucceſſit calumniandi malignitas, ego me ad æquiſſimum Judicem Deum, cujus rectitudo juſtitiæ, nec terrore cujuſquam poterit averti, nec ſubtilitate convitio-

rum

rum confundi, convertam, veritatemqué in terris conculcatam & oppressam, mihi è cœlo præstari petam, & quod non poteram à vivis testimonium, mutuabor à mortuis, & Petrum militem Principalem villæ meæ Piotrawin venditorem, quamvis ante triennium ex conditione viventium subtractum pro aperienda causæ meæ justitia, me post triduum producturum obligo, cessurus ex causa, nisì produxero. Hæc Stanislaus Reus innocens, Judex autem Boleslaus iniquus, promissi difficultate pensata, existimans cadaver Petri militis è triennali putredine resuscitari non posse, atque conditione non impleta, graviorem contra Episcopum sententiam prolaturus, inducias in triduum decrevit. Quid vobis animi est ex hac prima instantia de Boleslao? Judex

iniquus

iniquus est, nam invidet & favet. Æquior longè in STANISLAUM fuit Supremus vivorum & mortuorum Arbiter Dominus, annuens precibus à lingua immaculata prodeuntibus, redigit in carnem cineres, diffluentes nervos consolidat, arida ossa animat, redit in corpus spiritus, triennium ante separatus, redivivus ab inferis miles Petrus, inauditô secula usque ad illa miraculô, coram Tribunali Regis compareret, Pontificis fidem liberaturus. Novum istud & apud Polonos omnino primum spectaculum universum illud falsissimorum mendacissimorumqué criminatorum concilium, timore atque horrore percellit. Stant omnes taciti & elingues, neque proloqui quidquam, sed nec mussitare ausi. Cùmqué altum cuncti tenerent silentium, vivus te-

stis,

ſtis, Petrus mortuus pro STANISLAO perorat. Ego, inquit, ad juſſionem Divinam, & ad preces Viri Beati STANISLAI Cracovienſis Epiſcopi ſuſcitatus ab inferis, ad tuum Tribunal ô Rex! teſtis & evictor venio. Clara & aperta voce profitens & conteſtans villam Piotrawin quondam patrimonium meum, me Viro Beato STANISLAO, Cracovienſi Epiſcopo, & ſuæ Eccleſiæ, legitimo & perpetuo contractu vendidiſſe, & argentum, de quo inter me, & Virum Beatum STANISLAUM Epiſcopum conventum erat, ad integrum tuliſſe, & nepotes meos, nihil juris, nihil proprietatis, nihil devolutionis in villagio illo habuiſſe, ac Virum Beatum STANISLAUM Epiſcopum, per ſcelus & iniquitatem vexâſſe. Quid ad hæc injuſti criminatores, quid delatores falſi, quid

inſti-

instigantes ære corrupti, quid malè affecti Judices? illi quidem prævaricationis suæ facinus silentiô profitebantur. At inconditum circumstantis multitudinis murmur, Virum Dei STANISLAUM injustè vexatum, innocentem appellabat, ejus verò vexatores diris devovens, probrîs quatiebat. Rex ipse collecto utcunque à metu & stupore spiritu, & testimonii evidentiâ, & miraculi magnitudine admonitus definitivam pro STANISLAO Episcopo reluctante tametsi animo pronunciat, dolens Divinô primùm & stupendô prodigiô, humanô dein judiciô absolvi, quem frustra noverat accusari. Exulta, exulta Rei Pontificis vindicata innocentia! effrons Accusatoris & Judicis criminatio promeritas æternæ ignominiæ lue pœnas! Credidissem ego *A. l.* Boleslaum de

inno-

innocentia atque etiam ſanctitate, STANISLAI convictum ſalutaribus Pontificis ſui monitis gerendo morem, ſaniora tandem aliquando conſilia amplexurum: verùm ille in reprobum ſenſum datus, ſecundîs rebûs tumens, naturæ, dignitatis, & excellentiæ ſuæ oblitus, de malis in pejora, de his in peſſima vehementer rapiebatur. Cùmqué Regium tyrannidi conjunctum ſcelus, in invictam in corripiendo STANISLAI Pontificis conſtantiam, ubique velut in ſcopulum impingeret, extrema tentare decretum. Boleslao ſiquidem tam rigidîs reprehenſionibûs admoneri inſueto, indignior Antiſtitis oratio viſa eſt, quàm, quæ per Regias excipi deberet aures. Veritatis quoque audiendæ inſolens, veritatem ſibi frequentiùs repetitam pro crimine Regiæ Majeſtatis læſæ

repu-

reputans, nonnisi sanguine Stanislai fuso expiandam nova & inaudita crudelitate decernit. Adeò suadere Principi quod oporteat, multi temporis & periculi est. Nec mora; decretum mortis, quod condiderat, Judex ipse exequitur. Furiarum inflatus suggestibûs, fundendiqué sanguinis avidus. Pontificem Stanislaum ad aras sacrificantem, nihil sanctitatem loci, nihil præsentem Dei Sanctorumqué majestatem veritus, immerso sacri capitis vertici profundiùs gladiô prosternit, interimit, extinguit. In hunc modum gratissima Deo victima litata est, verùm ipse Sacerdos Dei & hostia, sanguinis sui profusione Christum Victorem victor secutus ad cœlum. In hunc modum suìs duntaxat viribûs constans Episcopus & de Rege potentissimo mul-

tarum-

tarumqué gentium & nationum victore, & de ſua armata militia triumphavit. In lucta, ipſo quoque STANISLAI agone propè Deus fuit, cum illo fuit, intus fuit. Sacer Spiritus cum ſua gratia intra eundem ſedit, bonæ juſtæqué cauſæ obſervator & cuſtos: Veritas nimirum ſinè fallacia, Bonitas ſinè malitia, Felicitas ſinè miſeria. Vicit itaque cauſam occumbendo STANISLAUS, innocentiam Rei Deus ipſe patratîs ad ſacros ſuos cineres miraculîs perpetuò teſtatur. Age igitur Victor cum Chriſto regnans STANISLAE! atque è ſupernis illis ſedibus neceſſitates Poloniæ tuæ, Eccleſiæ tuæ contuens, potentî tuô patrociniô eidem æternùm opitulare.

Quar-

Quarta

1770mô.

MEminiſtis, arbitror *A. I.* qui cauſæ inter STANISLAUM Reum innocentem, & Boleslaum Accuſatorem, eundem teſtem atque Judicem contra omne fas & æquum, motæ interfuiſtis, momenta, quæ STANISLAUM ad defendenda juſtitiæ, innocentiæ & Eccleſiæ jura, quæ ad refrenandam audacis Principis inſolentiam impulerunt, momenta etiam, quæ Boleslaum ad inferendam Sanctiſſimo Pontifici necem, provocârunt, quid dico meminiſtis? alta fortaſſe, ùt reor, mente hærent. Nôſtis illum pietatem in Deo ſacras ædes, charitatem in proximum, manſue-

mansuetudinem in omnes persuasisse, istum furorem in Deum, sævitiam in domesticos, in propinquos immanitatem, parricidium in Pontificem fuisse meditatum. Ille in magna fortuna moderationem, in magnis opibus liberalitatem, clementiam in subditos in maxima potestate extollebat, iste in cursu victoriarum superbus, in ipso scelere gloriabatur, pinguî spoliô dives, non modò nihil largiebatur de suo, sed quibuscunque privatorum hominum commodis inhiabat, & Regale sceptrum in scorpionem commutavit. Ille rebus in singulis temperantiam, in judiciis æquitatem, in plectendis etiam sontibus misericordiam servandam esse dictitabat, hic nec inflecti innocentium lacrymîs, nec æquitatis habere rationem, nec ullum in vindi-

cando servare modum, aut sustinébat, aut etiam intendebat. Ille cupiditates domandas, pudorem ac pudicitiam excolendam, non verbîs minùs, quàm moribûs prædicabat, iste corpore pariter atque animô corruptus ac perditus volutabat se se in cæno voluptatum, & obscænissimas quasque libidinum sordes sectabatur. Nolo ego adeò justam & iniquam causam in memoriam vestram rursus revocare, ne dolore, quem ex crudelissima Pontificis innocentissimi morte, quem ex inaudita lascivientis Principis feritate concepistis, pias vestras mentes iterum, iterumqué videar percellere. Unum est, quod cùm mihi ad perorandum, tum vobis ad deliberandum in caput orationis meæ assumere decrevi. Et ne animos vestros suspensos teneam, plusné

né Martyrium Stanislao ad gloriam, num verò Boleslao ad veniam profuerit? vobiscum unà impræsentiarum deliberabo. Attentos vos fore, atque placidè verba mea excepturos, pro summa vestra humanitate, ipsiusqué argumenti dignitate & magnitudine nullus dubito.

Duo sunt, ad quæ vobis persuadenda, imò verò in clarissima luce ponenda, fidem meam vadem dedi A. I. Martyres videlicet cruciatibûs atque suppliciîs suîs, nedum sibi immortalem illam, qua nihil optatius beatiusvé nihil, gloriam promereri, at quod quidem singulari Dei Optimi & ad miserendum pronissimi humanæ miseriæ provisum, est; beneficiô, atque etiam altiore, loco tenendum, suis quoque persecutoribus, tyrannis, carnificibus,

non rarò gratiam veniamqué impetrare. Quæ quidem priusquam evicero, argumenti ratio postulat, de dignitate, merito, ipsisqué fructibus ac emolumentis Martyrii, paucissimîs, ne tempori vestræqué patientiæ sim injurius; præfari. Ad primum quod attinet, quis explicabit verbîs Martyrum dignitatem? Coluntur illi ab Ecclesia tanquam Heroës, Parentes & Athletæ. Hanc enim laboribûs suîs, in ipso humanæ salutis initio, origine justitiæ, altissimo Dei dono, religionis virtutumqué omnium matre & radice, totius denique Christiani ædificii, nimirum omnis gratiæ gloriæqué solido fundamento, fide cohonestârunt. Hanc ligati, inclusi, cæsi, laniati, in usum nocturni luminis usti sanguine suo uberem effecerunt. Hanc invicti pugiles, voce libera, mente

mente incorrupta, telîs quidem ſe-cularibûs nudi, ſed armîs Divini auxilii muniti, ſuîs certaminibûs propugnârunt. Quæ dignitas victorem eſſe? Patrem eſſe? atque in ſua nece fundari Eccleſiam, quis honor? quod meritum? Emerunt illi immortalitatem pretiô ſui ſanguinis, quæ accepit coronam ex conſummatione virtutis. Steterunt torti, torquentibûs fortiores, & pulſantes ac laniantes ungulas, pulſata ac laniata membra vicerunt. Inexpugnabilem fidem ſuperare non potuit ſæviens diu plaga repetita, quamvis rupta compage viſcerum torquerentur in Servis Dei jam non membra, ſed vulnera. Fluebat ſanguis, qui incendium odiorum extingueret, & in fundata Sacramentô Crucis Chriſti religione filios multiplicaret. Non minuebantur il-

li morte Martyrum, ſed augebantur, ſemperqué apparuit ager Domini ſegete ditiori veſtitus, cùm grana, quæ ſingula cadebant, fæcundiora naſcebantur. Quid demum dicam de eorum præmio? qui usque ad animam certaverunt pro veritate. Non eos mundus illexit, non eos terror fregit, non blanditiæ deceperunt. Corpora hinc eorum magna ſunt capeſſitura ornamenta, quòd in eis paſſi fuerint magna tormenta. Præter enim communem gloriam, præter ſplendorem & claritatem propriam & peculiarem Beatorum, ſenſus omnes redundabunt ſuîs deliciîs perennibûs, percipient ſuam ſuavitatem & jucunditatem eximiam, neque ulla pars vacabit verîs ac ſolidîs voluptatibûs, adeò, ut cùm ſe tanta felicitate cumulatos aſpicient, præ luce, præ dignitate,

gnitate, præ honore, præ gaudiis cœlestibus, vix apud se esse videantur. Fatemini jam gloriam ex Martyrio in STANISLAUM profectam & bellè quidem, nam bonâ causâ STANISLAI. Laus enim Martyris est in causæ bonitate, non in pœnæ acerbitate. Cùm namque pro justitia, pro innocentia, pro juribus Ecclesiæ occubuerit, cùm inter magnas tempestates hostium in hoc seculo periclitatus fuerit, non tantùm corpor , quod aliquando positurus erat; sed ipsa fide, ne deficientes, & fortè acerbis cedentes persecutionum doloribus, vel amori vitæ hujus: amitterent, quod promiserat Deus, tum certè quantam habet, sitqué gloriam habiturus? Sæviit, maledixit, calumniatus est, falsîs opprobriîs agitavit, postremò non solùm corpus STANISLAI occidit Boleslaus,

verùm

verùm etiam dilaniavit, diſſecuit, diſcidit, & ecce Deus adjuvit eum, & Dominus ſuſceptor animæ illius extitit. Quando verò Dominus ſuſcepit animam ejus, reſtituet & corpus illius. Nihil ipſi deeſt, quamvis membra laceraverit inimicus, quia capillos etiam ſuos dinumeravit Deus. Non ſatìs fuit barbaræ crudelitati manus imbuiſſe ſanguine, nisì etiam ſanguine ſancto imbuerit, locô ſanctô imbuerit, tempore ſancto imbuerit, ut cùm nullum in Eccleſia Chriſti trophæum glorioſius Martyriô poſſit mente concipi, STANISLAI deberet eſſe ſanctiſſimum. Rem ipſam vultis! teſtatæ ſunt ſanctitatem STANISLAI tot lucentes ſupernæ lampades, quot ſacri corporis disjectæ fuere partes. Quibûs tam evidentibûs ſignìs cœlum demonſtravit, tot militem ſuum

cumu-

cumulatum esse coronîs, quot illum mortibus tyranni truculentia destinârat. Neque verò tragica hac duntaxat die, ast triduô portenta illa visebantur. A funesto satellite corporis particulæ variîs locîs dispersæ relictæqué, custodiebantur ab aquilis, solidissimè absque omni cicatricum nota compactæ sunt, fragrârunt tam immenso odore, ut omnes adstantes eo complerentur. Ex sacro manûs dextræ indice articulus in proximum lacum dejectus, à pisce, qui illum deglutiverat; lumine cœlorum prodito restitutus, aliaqué sexcenta miracula Pontificem nostrum, pro una temporali vita, eademqué brevi & incerta, ac millenis semper casibus exposita, duas, ut ita dixerim, æternitates in præclaro Martyrio adeptum esse: unam videlicet in tri-

umphan-

umphante, alteram in militante Ecclesia, declarârunt. Reapse gloriosus sacri sui cruoris profusione STANISLAUS, qui cùm viveret, omnibûs præluxit virtutibus, & moriens innumerîs è cœlo effulsit prodigiîs. Quemadmodum autem STANISLAUS pro Christo laboravit, sudavit, fecit, dixit, hortatus est, objurgavit, & vicissim Christus laboranti submisit animos, dicenti verba, facienti vires, hortanti nervos, objurganti aculeos, ita eum pro custodito in Ecclesia fidei tenore, servata in simplicitate innocentia, in charitate concordia, modestia in humilitate, diligentia in administratione, vigilantia in adjuvandis laborantibus, misericordia in fovendis pauperibus, in defendenda veritate constantia, in disciplinæ severitate censura, ad gloriarum subli-

me

me fastigium clarificationis suæ honore provexit. Innuamné de cultu illius in terris? viget hic in universa militante Ecclesia, & quem Rex unus persequebatur in humanis, hunc à nobis evulsum & à Deo honoratum, Reges, Principes, & quotquot in unitatem Ecclesiæ recepti; non modò venerantur, sed & in cœlis Patronum habere supplices deprecantur.

Statuite vobis nunc ante oculos Boleslaum, sacrilegum, parricidam in patrato scelere exultantem! Quid dico exultantem? dicere debui, mille furiîs exagitatum, atque recenti nefariæ cædis imagine ultro se se ingerente, in curia, in venatione, inter epulas, in vigiliis, in somno, die, noctuqué, acerbitate mæroris tristitiæqué tabescentem. Vix enim ferrum illud sacro cruore

re

re fumans depoſuerat, atque protinus arrigitur coma, gelantur oculi, tremunt titubantqué greſſus, omnes denique artus, crimen metumqué fatentur. Ita porro, ſemper timor eſt comes individuus ſceleris, importunusqué teſtis. Heu quàm repentina mutatio! Pavet ille poſt nefas admiſſum, quem antè, nec Numinis contempti horror, nec hominum metus terrere potuerunt. Qui antè ad Pontificis cædem, quaſi ad fundendas hoſtium acies, obduratô animô properavit, hujus ecce poſt funeſtam victoriam, cor criminis reum ſurdo quodam flagello laceratur. Quid plura? pii Pontificis manes, ultoresné, an propitii? at quomodo ultores? qui tanta charitate carnificibus ſuis, cùm jam jam ultimum ſpiritum ageret, veniam à Domino deprecatus; continenter obverſan-

versantur. Ita verò obversantur, ut de impuris amoribus, de repetundarum reatu, de barbara in sequiorem sexum crudelitate, dequé infinitis aliis flagitiis, acrioribûs quibûsdam, atque ad divisionem usque animæ penetrantibûs monitîs eundem hortentur. Accedunt Vaticana fulmina, conjurant in caput Proceres, seditione plebs furit, & qui nuper sceleris parricidiiqué auctores adjectoresqué fuere, hi ipsi mox vindictam ultionemqué meditantur. Singulorum odia, velut spicula metam, Regem poscunt. Cùmqué nihil tuti domi superesset, solam in fuga salutem ratus, in Pannoniam clanculum se subducit. Recipitur in amicam cognatamqué Regiam Boleslaus, convivia, saltus, ludi, & quidquid atram bilem lenire potest; certatim instaurantur. Fingit ille

insi-

insipida gaudia vultu, at altiùs corde vulnus hærens, tumultuantesqué animi motus, inter medios choros feralem scænam revocant. Revocant, revocantqué Sacram STANISLAI umbram de Parricidæ sui salute plurimùm anxiam sollicitamqué. Quid putatis *A. I.* beatusné Civis ille Deo intimè conjunctus, atque etiam ubertate domûs suæ saturatus, & plenitudine dulcoris sui inebriatus, cùm caduca atque terrena reliquerit, rursum deviantem atque aberrantem à justitiæ semita in rectum iter adducere neglexit? Multa mihi dicenda superessent, sed ea veluti pervulgata consultò silentiô prætereo. Resipiscenti siquidem Boleslao quis? nisì suæ fragilitatis oblitus, aüt sibi nimiùm audax videri velit, quis inquam non compatiatur, aut potiùs quis non gratu-

gratuletur? Nonné jure ille memor ſit? qui ſuperſtes in vivis, multîs fortiterqué perſuadebat, & eundem animi ſenſum ſecum in cœlos transtulit, nunc fortiùs inſinuante ſe ſe in cor Numinis gratiâ, pro qua ipſe ubertim concedenda intercedebat, vulneribûs ſciſsîsqué membrîs vadibûs? Quid putatis inquam? Civisné ille beatus, parricidam ſuum vel ipſo Martyrio, non etiam ſortis ſuæ conſortem, participemqué enitetur: Hærebat procul dubio profundè nimis animô Sancti Pontificis, ſalus interfectoris ſui; quocirca cœleſtibûs monitîs, atque internîs adhortationibûs, obduratum illud pectus emollire, mentemqué ſuper atrocitate exactæ vitæ ſe ſe reflectentem, ad frugem meliorem revocare omnino non ceſſavit. Redeuntem itaque tandem aliquando

ad cor

ad cor Boleslaum, ita secum loquentem audire mihi videor. Quò te ages infelix post conceptum fa-cinus patratumqué? quò te recipies, ut fugias sequentem pœnam? quem in locum te abdes? quò furiæ ardentibûs tædîs armatæ te non insectentur? Discedes in desertissimas solitudines? te ibi lancinabit acerbiùs scelerum tuorum conscientia. Venies in publicum, Paternum solium repetens? ardebunt in te odia omnium bonorum. Quem appellabis, qui propulset à tuo capite imminentem pestem? Amicos? improborum amicus nemo, nisi improbus. Affines? quos dedecorâsti. Propinquos? quibus labem aspersisti. Quocunque te demum vertes? ubivis scelerum vindex Numen aderit. Atque in tanta animi luctatione, quid actu oporteat, adest &

con-

consultor & solator STANISLAUS. Suadet celerem furtivamqué è Pannonia fugam, petendam Romam, veniæ arcem monet, ductorem, comitemqué viæ se ipsum offert, placabilem Deum pollicetur, dumqué insuper exortîs lacrymîs perfusum Regem, atque altos cientem gemitus conspicit, carissimum quasi filium amplexatus, dulciaqué oscula figens, audi fili! audi inquit; recta monentem! Expianda est per maturam pœnitentiam culpa, supernæ Providentiæ committe cætera, atque reliquos exul dies exige! Nec morâ evigilat è somno vitiorum, velut potens à vino crapulatus, ostrô tinctam purpuram, cum squalido centone commutat. Pendet è humero pera, relucent obscura veste conchilia, & dimissô sceptrô, perticam assumit, & ne lingua fugientem,

pro-

prodat, doloſa olim labia muta ſimulat. Cùmqué poſt varios viarum anfractus dubioſqué greſſus, ad Oſſiacenſis Monaſterii ripam fixiſſet pedem, hunc pœnitentiæ ſuæ atque reliquæ vitæ conſummandæ locum cœleſti afflatu intelligit. Paret Divinis nutibus intra mœnia claustri; viliſſimis atque pœnoſiſſimis quibuſque obſequiis ſe addicit, & quantum nuper abundavit in deliciis, tantum voluntaria carnis afflictatione, jejuniô, vigiliîs, oratione ſibi tormenti addit. Quot miſer ille exilii ærumnas, quot probra non devoravit! quæ grex petulans lixarum non in illum vibravit! Quot ille memor ſceleris peracti lacrymas non fudit! fundebat verò die nocteque. Cùmqué ſeverâ & longâ pœnitentiâ integro ſeptenniô, continenter ſilens admiſſas culpas

culpas eluiſſet, deficientibûs viribûs, atque ingraveſcente ætate, Deiparæ Virginis Sanctorumqué Cœlitum præſentiâ, dum jam animam ageret, recreatus, depoſitîs carnis exuviîs ad Dominum properavit.

En conſummatum STANISLAI triumphum, en uberrimum Martyrii ſui fœnus atque uſuram! Conferte nunc ſi placet, vobiſcum ſeriòqué meditaminor! crudelisné cædes Pontifici noſtro plus gloriæ attulerit? an parricidæ Regi ad lucrandam gratiam veniamqué fuerit operata? Magna profectò fortuna eſt per Martyrii palmam ad cœleſtia Regna evolare. Magna gloria, thura adoleri, aras, templa nomini honoriqué ſuo ſacrari. At quantum putatis ſuſtinuiſſe carnificem, cui paret pœna mercedem? Enimvero STANISLAUM Eccleſia ni Martyrem

G habuiſſet,

habuiſſet, Boleslaum cœlum Civem ſuum vix credo habiturum. Cecidit ſub gladio Principis Pontifex victima Deo gratiſſima, glorioſus hic verò caſus in gurgite vitiorum demerſum Regem è fundo, ut ita dicam, averni ad ſidera, uſque ſublimavit. Letale trucidati Antiſtitis vulnus interfectori ſuo medicinam attulit illius fatum, hunc vivere æternùm fecit. Boleslaus Martyrem, STANISLAUM transmiſit cœlo, STANISLAUS, ut tyrannus ſuus in terris Martyr viveret, & imperavit, & impetravit. O felicem utrumque Martyrem, Pontificem alieno ſcelere, tyrannum ſuo! At ſcelus pœnitentiâ eluit, & qui crudeliter in alium deſæviit, ſibi ipſi tyrannus fuit. Qui alteri barbara manu uno ictu necem intulit, ſe ipſum lentô Martyriô conſumpſit. Utriuſque adeò fortunæ jure meritòqué gratulemur, plaudamus utrique, atque ita plaudamus, ut & Sanctum Martyrem celebrando veneremur, & ſeriâ maturâquê pœnitentià exactæ vitæ eluentem noxas Principem ex animo imitemur.

Quin-

Quinta

1771mô.

CRedo pro ſapientia virtutequé veſtra, non exſpectare vos *A.l.* ut intra hoc tempus, in cujus perbreve curriculum concluſus ſum, STANISLAO Pontifici & Martyri, à Patriæ aut Parentum nobilitate, divitiis & potentia, laudem aliquam tanquam plumam alienam appingam. Lego enim tacitus ex oculis frontibusqué veſtris, odiſſe vos fucum illum, quo ſuperba oratio crepet avitum nomen, & ſigna ac imagines, interdum lumina ad gloriam, & pabula virtutum; producat, quibus pergratum atque perjucundum eſt, non faſtuosé mode-

ſtiam, non ſacrilegè pietatem adornari. Ad hæc Parentum ejus computari cenſus, celebrari honores ægre ſuſtineretis, imò verò vix ſinè nota in me redundante patere-mini, noſcentes optimè: nudam ſanctitatem ſpecioſiùs incedere, quàm ſcelus phaleris veſtitum, quàm aucta fortunîs flagitia. Ludant in talibus robuſtiora ingenia, quæ ſufficiunt mendaciîs obruere laudes, dummodo magnificè extollatur laudandus. Mihi ingeniô tenui, non tumorem ſermonis, ſed virtutes colere, proindequé ea pertexere, quæ digna Pontifice & Martyre STANISLAO dictionis ornamenta, atque ſuæ Ecclesiæ commoda exaggerent; conſtitutum eſt. Non felicitas naſcendi, non opum affluentia, non denique illuſtrium pompa titulorum, quidpiam ad utrumque conferent. Nam

ſi cum

ſi eum depingerem à florentiſſima Polonia, viderer pueriliter ineptus, ſi à Parentibus, indecorè fatuus, ſi ab irritamentis malorum, fœdè iniquus. STANISLAUS glorioſô Martyriô nobilitavit Poloniam, virtutum omnium copiâ ſpes adimplevit Parentum, effuſa in ſe Divinæ gratiæ hauſit flumina, ut in tributum laudis illius, minùs ſit ſolum natale vocari, Velislaum & Bognam totamqué clariſſimam Pruſſorum Familiam accerſi, Rhetorum eum includere carceribus prætendi. Quare non ex ventoſa eloquentia, ſed ex vera dicendi ſegete, quam ipſa Pontificis & Martyris noſtri vita parturivit, & uberrimam enutrivit, coaleſcet STANISLAI laudatio. Sinè pigmentis verborum vobis coram oſtendam, STANISLAUM Sponſum ſuæ Eccleſiæ Candidum & Rubicundum.

Utrum-

Utrumque vos in Stanislao viſu-
ros pervulgato more ad attentio-
nem non excito, nec ad littus ora-
tionis excitabo, cùm videatur jam
Stanislaus ipſe, & quòd Pontifex
& Martyr fuerit, ſub colore utro-
que, Candido & Rubicundo expres-
siſse à vobis audiendi cupiditatem,
& quòd veſter fuerit, impreſſiſſe
vobis imitandi ſtudium.

Neminem veſtrûm diffiteri ar-
bitror *A. A.* Servatorem noſtrum, ca-
put Pontificum & Martyrum, cum-
primis dici Sponſum Candidum,
& Rubicundum. Dominus enim
procedens de thalamo ſuo ſponſans
ſibi in fide animas noſtras, cùm ab
æterno ruberet Divinum unà cum
Patre ſpirando Amorem, cùm in
tempore vas luteum portans vitæ
innocentiâ candeſceret, tum dein-
ceps ſanguine corporis ſui parien-
do

do victoriam ex ſubacta morte, flagitiîs hominum expreſſo, factus eſt rubicundus. Candor eſt ille lucis æternæ, & ſplendor gloriæ Patris. Atque cùm Idem ſit infinitum bonum, haud potens vim ſuam beneficam explere, largitione eorum, quæ extra illud ſunt, nisì ſatisfaciens bonitati ſuæ, ſe ipſum dederit; dedit ſe ùt Sponſum Prælatis Eccleſiæ, quinimo Pater ſeculorum, ſponſos eos effecit, & formæ ſuæ ſponſæ amatores. Hos ego paratæ à Deo & de cœlo transmiſsæ in terras Sanctæ Jeruſalem Viros, rem cum STANISLAO habiturus, in medium non adduco, indumentô juſtitiæ circumdatos, & quaſi ſponſos decoratos coronâ non provoco, ſintné pares Divino colori! non diſputo. Candidus ille eſt & Rubicundus. Ille amores concili-

at,

ât, alter fortes deſignat. Ille cùm ſit purus, mentes in obſequia, iſte cùm ſit conſtans, hoſtes rapit in triumphos. Iſte nullîs maculis inquinatos Pontifices, quibus omni tempore ſint veſtimenta candida, & oleum de capite non deficiat; ille translatos à Deo per mare rubrum, & transvectos per aquam nimiam Martyres denotat. Ambobûs illîs quaſi corporis ſtrumîs exactîs, contemplemur ipſum STANISLAUM. Virum purum vultis primùm? Sacerdotem? Canonicum verbi Divini Præconem? an Pontificem? Quemadmodum naturæ, ſic orationis meæ progreſſio quædam deberet eſſe, à Viro in Sacerdotem, à Sacerdote Canonico in Epiſcopum. Verùm quia Pontificatus aridiſſimo cuique oratori ſubminiſtrat ſermonem fluidiorem & pleniorem, Viri,

Sacer-

Sacerdotis, Canonici Concionatoris vitam, & res gestas, levî quasi brachiô excipio. Virum purum appello, liberum adhuc & à Sacerdotis gravitate, & à vigiliis Pontificis. Hæc vitæ pars, etsi aliis plures maculas inspergat, quàm quas possint toto cursu abstergere, tamen STANISLAO, ita acta, imò exacta est, ut in eo nævulos illos communes, vix, ac ne vix quidem invenerimus. Isthac igitur vitæ parte ut gloriosiùs excelleret, Viriqué puri nive candida emineret, semper eam in honestarum artium disciplinis, necnon omni virtutum genere posuisse visus est. Simulatque enim tenerum animum suum capiendis scientiarum fundamentis avidè appulisset, è vestigio celeres passus suos in Lutetiam movit, quam cæterarum Academiarum fontem inexhaustum,

Theologiæ ærarium, Jurisprudentiæ Areopagum, ſapientiæ fundum, fidei ſanæqué eruditionis integerrimam Magiſtram bellè noverat. Contulit autem ſe illuc STANISLAUS non iis de cauſis, ut pravæ ſocietati ſe ſe immiſceret, ut morum corruptelam contraheret, ut rerum deteſtandam peſtem pleno gurgite hauriret, ut quidquam horridum, aut molle in mores admitteret, aut naturam exaſperaret, vel effœminaret; ſed ut redux in Patriam ſe, Civesqué ſibi dilectiſſimos variarum rerum notitiâ ſolidè ſapienterqué imbueret, & quidquid ambabûs, ùt ajunt; manibûs amplectendum, quidvé more cæterarum gentium averſandum ſit, prudenter conſuleret, omnium demum mentibus piè religioſèqué ſapiendi rationem inſtillaret. Non ille ea avidi-

tate

tate totam mentem ſuam ad ſtudia convertit, ut faſtum aliquem, aut divitias ex iiſdem colligeret, aut verſâ in quæſtum ſapientiâ titulos mercaretur; ſed ut viri candidi integritatem præſeferendo, ante oculos hominum quaſi normam quandam virtutis poneret, ad quam omnes illi ſe ſe conformare poſſent, qui vitam ſuam taliter agendam putarent, ut non fruſtra à natura ſuſcepiſſe rationem viderentur. Et quemadmodum non ſubitò flumen emanat à rivulo, non in ipſo naſcentis diei auſpicio æſtus adurit, nec vagiens duntaxat in cunis infans, præter lacrymas, ore verba copioſa fundit; ſic ille, antequam impietatem proſcribere, profligare ruditatem, roſtra adire, fulminare vitia, ad legem Dei virtutumquè plurimos reformare cœperat; priùs

injectis

injectîs carni suæ frenîs, animôqué suô heroicis actionibus ad Divina tantummodo intentô, patrimonio, satìs amplo & locuplete, in Christum ipsum, cùm in pauperum & inopum turbas effusa manu distributo, ad perfectiora vitæ opera, velut per gradus ita anhelabat, ut eum Virum pæuè Divinum, viventes viventem confiterentur, & hominem velut Numen aliquod admirarentur. Plenus hactenus conquisitæ perfectionis, examinatîs pluribûs vivendi institutîs, nullum, quod à claustralis vitæ austeritate alienum esset, laudare potuit, eòqué semper animum revolvit, ut dura & misera omnia, quemadmodum proposuerat, ita ipso rei eventu pro Christo pateretur. Sed prô Deum immortalem! hæc dum cogitat STANISLAUS, en *Lambertus* Craco-

viens

vienſium Pontifex, famâ & opinione, quæ de zelo, de integritate, dequé litteratura STANISLAI conſtanter ſuas aures pulſare non ceſſabat, ſacris altaribus pulpitiſqué STANISLAUM admovendum decrevit, utì profectò non ſinè ſingulari omine, & Numinis afflantis diſpoſitione, admovit. Non repugnavit Vir Sanctus voluntati Divinæ ore Pontificis ſibi ſuaviter inſtillatæ. Adſcitus proinde Canonicorum præclaro cætui, per univerſa, quæ tunc loci hujus Ordinario ſubjecta eſſe cenſebantur Templa; tanquam tuba Evangelica reſonando, ſemenqué verbi Divini in frugem excreturum maturam feliciſſimè ſpargendo, cùm doctrinam ſuam virtutum nitore, & mundioris conſuetudinis exemplô ornatam, populo Dei proponeret imitandam, tum ita oris gravita-

te

te morumqué eleganti cultura plurimos mortalium in amorem supernorum accendit, ut probatissimam æqué ac modestissimam ejus vitam, ipsi quoque Ecclesiæ hostes, vitæ sibi agendarumqué salutis rerum æquissimam regulam jure meritòqué statuerent. Equidem omnium voluptatum vires compresserat, secreverat labes, ac nervos corporis ita eliserat, ut mens sensus omnes insitâ protervia ferociter in aliis exultantes in suum gyrum facilè traduxerit, & ratio tanquam domina, clamârit jam ad aures, nequid hauriant, in quo obscænitatis; ad palatum, ne quid gustet, in quo intemperantiæ; ad linguam, ne quid promat, in quo mendacii, ad oculos, ne quid usurpent, in quo nævus sit curiositatis, ad omnes sensuum animiqué facultates, ne quam

obeant

obeant functionem, in qua vitii alicujus labecula hæreat ac insideat. Subegit brevî sub imperium rationis sensus in eum modum, in quibus perpurgandis, atque à carnis concretione quasi rescindendis plurimi maximam vitæ partem fixerunt. Cùmqué in dies STANISLAI vita & mores non solùm opinioni de eo conceptæ responderent, sed plura etiam sperari de se appromitterent, STANISLAUS infra omnes sponte dejectus, humilitatem sibi amplissimis honorum fastigiis anteponendam censuit, maluitqué Vir purus & candidus esse, quàm videri. Idcirco Pontificis Cracoviensis dignitatem, de tanto tamqué sublimi Sacerdotio minùs meritum se se reputans, cùm per integritatem mentis, & vitæ sanctimoniam posset, insigniri noluit. At non magnum est esse

humi-

humilem in abjectione; nam magna prorsus & rara virtus honorata humilitas: STANISLAUS ad Infulas invitatus, etsi avidissimè latere voluit, utique non potuit. Eundem namque urgente Cracoviensis Ecclesiæ necessitate, supplicantis populi precibûs, Prælatorum & Canonicorum votîs, multîsqué totius plebis suspiriîs, longo magnoqué labore devictum, pro innata sibi modestia solius duntaxat amoris Dei zelô, cum pavore & tremore non modò electioni suæ assensisse, sed etiam officium Pontificis profundo ac verecundo pudore suscepisse, viduamqué morte *Lamberti* Ecclesiam, Virginem tamen, in Sponsam suam, tanquam collapsuram, nisì in suis inclinata humeris recumberet; dulciter amplexum fuisse, satìs, superqué satìs accepimus.

mus. Per tot ora ſuffragiaqué humana, quod de ſe ordinaverat Deus; huic ne minimùm quidem refragatus eſt STANISLAUS, Virqué ſinè dolo & ſecundùm cor Domini, Vas electionis admirabile, cùm primùm crearetur ordine Aaron, ſtatim unctione quoque factus Samuel. Quod ergo Samuelis erat ad templa & aras ſe contulit. Parùm ſibi fuit in cilicio, nunc in virgis, nunc in lacerato corpore, nunc in ſqualore, nunc in lacryma, nunc in dolore, nunc in oratione, nunc in vigiliis candorem quærere, nisì in decore Sponſæ ſuæ dilecto quæſierit. Fœnerabatur profectò pecuniam Domini ſui, ſed diſpenſatione fideli, quam ad proventuram cœleſtium divitiarum uſuram, aut in fabricas Eccleſiarum diſtribuit, aut in eſurientium viſceribus recondidit

Quanquam quid ex his probo candorem? oſtendit eum pectus inſtructum à prudentia, ingenii oculus purus & acer, quo ſtatim videbat in alicujus vultu, quod amaret, aut reprehenderet, frons modeſta ſummam integritatem & vitæ moderationem ſpirans, lingua ad omnem ſermonem accommodata, ut nihil unquam proferret, vel leve, vel non plenum, vel non dignum ſummæ honeſtatis Virô, omnium virtutum perfectionem adeptô, communi pauperum & viduarum Parente. Conſcripta harum in ſua Diœceſi conſiſtentium nomina apud miſericordem Pontificem non otioſè jacebant, cùm iis pro modulo facultatum uſu quotidiano venerat liberaliter ſubveniſſe. Nonné eſt immenſi amoris indicium, non ſolùm mentis pietate, manûs fatigatione,

verùm

verùm quoque corporis totius lâbore in re egenorum ſolicitum fuiſſe? Suffeciſſet illi ad candorem, cauſas oppreſſorum ſuſcipere ac tueri, ſubvenire infirmis, eoſdemqué defendere, conſolari quantalibet calamitate tabeſcentes, plùs ſibi quidem ad gloriam, nobis autem ad ſtuporem eſt, reficiendis orphanis frequentiùs rejectô ſervientium obſequiô, propriîs manibûs ſingula, cibî & potûs neceſſaria adminiſtrâsse, nuditates illorum novo amictu texiſſe, fregiſſe panem, ollas eorum & calices diluiſſe, pedum lavandorum officium ſæpenumero fuiſſe, executùm. Plena hæc ſunt amoris, plena candoris. Quid, quòd fluentes ſuarum ovium mores caſtigaverit diſciplinâ, & quæ eas, conſpurcârunt deformitates; has benigna ſedulitate deterſerit? adverto

 pium.

pium: Quid, quòd monstrum illud totum in luto libidinis volutatum, opprimens divites, conculcans pauperes, nobiles & populares exactîs tributîs aggravans, adeóque debacchans sordibûs luxuriæ & tyrannidis, ut ne speciem quidem Religionis Christianæ servare videretur, precibûs & lacrymîs, minîs deinde & rigida reprehensione sceleris admonuerit? agnosco vigilantem. Quid, quòd prostibulum illud, ut obscœnissimam venerem relinqueret, motus suos clementiâ moderaretur, mulierum execrandam contumeliam contra jus fasqué impositam in lactandis catulis rescinderet, in publico obtestatus fuerit? audio castum. Non passus est eripi Sponsæ suæ dotem, excutiendo è cineribus trienne Petri cadaver, emergere è sepulchro, efferre caput in au-

ras,

ras, ſole diequé frui, Regium Tribunal ſubire, & vocis libertate in sontes detonare faciendo: video Paſtorem bonum, Sponſum candidum. Occaluit ad injurias à tortore illo Civibus plebiqué inuſtas juſtitiæ causâ? laudo juſtum. Blateronum impii Regis Aulicorum non fractus cachinnîs, ſcommatîs, ſibilîs? admiror conſtantem. Evangelicum Sponſæ non ampliùs polluendæ causâ gladium ſtrinxit in tyrannum, ſusqué dequé omnia pervertentem? adverto candidum, dico fortem, & jam texendo ùt nimis brevem pro rebus, ſic pro tempore nimis longam orationem, ſuſpexi rubicundum.

At quid candidum ſuæ Eccleſiæ Sponſum in alium fecit tranſire colorem? ut rubrum eſſet veſtimentum ejus, torcular, quod ſolus calcavit.

cavit. Propriam enim cùm exuiſſet voluntatem, flagrans dudum ardore Martyrii, ſaturatus opprobriîs, alteram percutienti præbens maxillam, intrepidus abſque ulla animi perturbatione, contumelias nunc blandientis, nunc promiſsîs vitæ melioris illudentis, ferocientis tandem Principis & in conſilia parricidii conſentientis ridens, gravius certamen ſuſcepit contra vitia, quàm contra mortem. In hæc ſiquidem Regi minitanti verba reſpondiſſe fertur: utinam propitietur mihi Deus, & quamvis immeritum dignatione ſua tribuat corporis mei munus in holocauſtum acceptæ victimæ ſibi offerre. Mea, inquit ampliùs; vita, omnibus in ſpeculo poſita eſt, qui ſi paululum titubavero, aut reprehenſionem remiſero, turpem iniiſſe fugam, turpi caſu excidiſſe

cidiſſe audiam, deſertorqué gregis mei videbor non Paſtor: Divinum judicium nisì in præſenti contra tyrannidem Regis, pro plebis injuria ſtetero? non evitabo. Mea Chriſte voluntas fiat Tua,,, En STANISLAUM intus rubicundum, en ſinè ſua voluntate, quod plurimùm confert ad fortitudinem; inventum STANISLAUM reapſe videre mihi videor in ſe jam mortuum, duntaxat Chriſti voluntate vivere, & dicere poſſe: vivo ego, jam non ego, ſed vivit in me Chriſtus. Poſt hanc ſiquidem Divini amoris flammam è cœlo conceptam, fuit non interrupta, ſancta quædam contentio STANISLAI cum Chriſto, ac Chriſti cum STANISLAO, ut nec Chriſtus in STANISLAUM voluntatis ſuæ inſtillandæ, nec STANISLAUS ſuæ viciſſim in Chriſtum refundendæ ullum unquam

quam modum posuerit. In amore namque Divino is solus est modus, ut semper sit sinè modo. STANISLAUS ergo tanto justitiæ & veri amore, tanto iniquitatis & falsi axarsit odiô, ut periculi omnis interim, oblivisceretur, nec ullius rei desideriô ferventiori, quàm fundendi sanguinis teneretur, ipsamqué mortem & insectaretur, & captaret. Hac in causa, assidua fuit illius cum Viris Ecclesiasticis consultatio, hæc ad Deum profunda oratio, ut mori sibi pro suo nomine & honore, libertate Ecclesiæ & Gentis suæ tribueret, nulloqué terrore, nullo suasu, de sententia justi honestiqué sineret dimoveri. Gressus itaque suos in semitis legis Divinæ solidâ constantiâ defigens, contra machinas persecutionis stetit æquanimitate infracta, stetit invicta fortitudine,

integras

integras noctium vigilias, per fletus & suspiria, veniam Regi deprecando, insumpsit, puras manus pro Boleslao impuro, non secus, quàm Samuel olim pro Saule ad Dominum levavit, paternîs excruciatus affectibûs pro convertendo tyranno & sarcienda Regni ruina, frequentiùs Sanctissimi Sacrificii adolevit incensum, & cum ejulatu labia rubicunda immolavit. Dicamné plura? dico eum lætatum fuisse, appetere denique jam diem, in quo tot periculorum, tot laborum, tot vigiliarum, tot ciliciorum, tot virgarum ferret fructum uberrimum, quo consurgens pro Domo Domini verus miles, prodiret in aciem, & manus ad fortia mitteret, bonusqué pro grege Pastor, Sponsus pro Ecclesia intus rubicundus, extus rubesceret, animamqué suam pro

Sponsa

Sponſa poneret. Sed heu fœdus ille, ſeculisqué pudendus dies! qui nece ſupra omnem atrocitatem horribili, Præſulem aris, vitæqué adimeret? & crudeliſſimè ademit. Boleslaus certè indutus carnificem, qui olim Rex caſtra in hoſtium ſtragem ducebat, tunc lictor è Principe in Pontificem armavit, exemplô ſæviendi inſtruxit, & rapidîs paſſibûs accitâ militum coronâ, Sponſam cum Sponſo circumſepivit. Cogitatis adventu cohortis, armorum fremitu, ſtridorequé gladiorum territum fuiſſe STANISLAUM? & cùm non daretur alius audacis Boleslai furorem declinandi locus; in ſepulchrum ſe, tanquam Athanaſium in ſiccam ciſternam recepiſſe? non fugit cum Athanaſio, quanquam & hoc fugere, fuit pietatis; par vel cum Stephano caput

objicere

objicere lapidi, vel cum Paulo cervicem ensi submittere. Oculos ecce in sublime erectos tenuit, nihil ex vultu hilari mutavit, rabiem Regis & militum suorum, cruentosqué & impudentes gladios contempsit, plùs posse in se amorem Christi, quàm cruciatus tyranni ostendit, de sola ovium suarum, & persécutorum salute solicitus, sibi constantiam patiendi, percussoribus veniam, gregi suo Divinæ miserationis tutelam impendi vehementer precabatur.„ Deus omnium clementissime Conditor & Redemptor, coram quo omnia vivunt, cujus nutu diriguntur singula, cujus beneficiô morientium animæ pro tuo nomine, in meliùs mutantur. Benedico te, qui me in hanc horam, & in hanc mortem perducere dignatus es, ut particeps exi-

sterem

ſterem paſsionis & calicis Chriſti tui. Glorifico te per unicum Filium tuum, æternum Deum. & verum Pontificem Dominum Jeſum Chriſtum, cujus paſſionis interceſſione & meritô, te quæſo, te deprecor, ut pro tuo nomine, honore atque juſtitia, pro tua Religione & populi Polonorum ſalute, firmum & patientem conferas animum, ad quælibet tormenta toleranda, dones Regno huic indulgentiam, gregi meo, imò tuo propitiare, nec Regis ac ſuorum ſatellitum ignorantiam imputes ad peccatum.„„ Ea fuit vox Chriſto navaturi operam Pontificis, & corpus ſuum in hoſtiam ad omnes etiam cruciatus perferendos coarmantis. Nec abſuit illico potentiam ſuæ dexteræ manifeſtans Divina virtus, quæ cohortem armatam ad occidendum Pon-

tificem

tificem ingredi in Ecclesiam au-
sam, expallentem vultibûs, tremen-
tem artubûs & genibûs, animô præ
magna & repentina formidine con-
sternatam, strictîs ensibûs Virum
Dei contingere adnitentem, cum
edito corporum ferriqué impii fra-
gore resupinam, præcipitem non
secus ac mortuam prosterneret &
ad terram allideret. Prostravit ita-
que & trino casu ad terram allisit.
Restabat unicum, ut ipse Boleslaus
us affectuum & cogitationum, tan-
quam ventorum turbine concitatus,
linguam cujus non pingo, tanquam
viperam, minùs reliquos sensus,
Deus bone! quos gurgites volupta-
tum? restabat inquam, ut sacrilego
Princeps violentus ense invaderet
pro aris stantem ad aras Pontifi-
cem, sacro vertici vulnus inflige-
ret, & sanguinem Præsulis Sanctis-
simi

simi Divino immisceret. Quapropter non templum, in quo Spiritus Sanctus pernox & perdius habitaverat, non locum, non tempus, non characterem Pontificium, non Sanctorum, non Divinam deterritus majestatem violari, abjecta prorsus humanitate, capiti STANISLAI Missarum solennia consummantis, gladium profundiùs, quò valuit, immersit, sanctum verticem disrupit, & fontes cruoris stillantes recentibus sacrificiis confudit. Ita Sponsum in gremio Sponsæ, Pastorem in ovili, Patrem in Filiæ amplexibus, Filium in Matris visceribus, scelus sanctitatem, crudelis misericordem, iniquus justum, castum incestus, purum impurus interemit & extinxit. Ut deinde sentiret se mori STANISLAUS, & sanguis suus, sanguinem tangeret, quò

integer

integer vehementiùs rubicundus pateret, beatum corpus in pavimento adhuc palpitans, millenîs mortibus confecit. Tandem, continuante malè cœpta, pejore ad jussa militem, certatim mucronibûs & pugionibûs desæviente, ritu barbaro immanissimè grassante, uno alterum præveniente & impediente, creberrimosqué ictus infligente in frusta sectum Pontificem tanquam rosas Jerichontis & lilium convallium per campos disjecit.

In
1772dum
Scazon.

Fors Lector hanc mirare paginam volvens
Cyllenius Deus sequente cur Anno
In Templa sacra Præsuli Stanislao
Caduceum suum cientibus Musis
Modos solutos; non tulisset arridens?
Saturnus iracundus orbîs amplexus
Cum Marte præpotente regna, funestas
Hastas stitit, cedendo nec locum virgæ,
Quæ germinaret flosculos peroranti.

Sexta

Sexta

1773tiô.

Reliquimus *A. I.* ereptâ naturæ figurâ exanimem, confossum, cruore oblitum & lutô deformem, scissum in frusta STANISLAUM, Eum verò Sponsum suæ Ecclesiæ candidum & rubicundum, tanquam rosas Jerichontis, & lilium convallium per campos disjectum: quò tandem libuerat nefando processisse furori, in mentem paulisper liceat revocare. Hæret animus, obrigescit lingua, vel in tacita cogitatione, tam consummatæ, perfectæqué crudelitatis! Sparso effusoqué per agros remotiores Martyri, negari cujuslibet etiam profanæ terræ loculum,

inter

inter canum aviumqué pulmones eundem ſepeliri, non aromatibûs, ſed fœtore condiri, non Pontificio pegmate, ſed ſtercore obrui prætendere, poni nimirum morticina ejus eſcas volatilibus cœli, & beſtiis terræ carnes ejus, ô Dii boni! quæ quantavé tyrannis! Ad hæc prohiberi lacrymas? prohibebantur juges in maxillis Sacerdotum? Namqué publicè luctum edere, aut juſta funeri ſolvere, aut corpus ſacrum colligere, aut liberam vocem emittere, aut ſaltem mutire, præterquam in angulis & tenebris, pœnalî edictô Regius timor vetuerat. Nulla igitur plangentium tantum, ac talem Pontificem conſpiciebantur ſervorum agmina, nulla militum, aut clientum pompa, nulla amicorum, nulla affinium, aut cuſtodum corporis turba, nulla ma-

tronarum, aut virginum cohors, nullum sepulturæ pretium, nullus funeris splendor. Imò verò Sponsô in partes divulsô, atque per arva dissipatô, integrum se parricida putavit, gementequé clanculum Clero & populo exultans in aula, suo aggratulabatur sceleri. Lugebat, Sponsa Sponsum, & non fuit, qui consolaretur eam, ex omnibus caris ejus. Rapiebantur, quæ à reparandis pauperum ruinis mobilia superfuerant bona, membra carnis Pontificiæ, velut lilia aut rosæ in campis jacentia, à nemine tollebantur. Palam exultatum fuit in curia præ facinore, clam ploratum in Ecclesia & plebe præ pietate. Occisor in majestate volutabatur à blandiente milite, occisus delitescebat in terra, nullo ad se se humandum veniente. At obscuratum est aurum,

optimum

optimum, extincti sunt lapides pretiosi in curia, stratum Pontificem, tanquam fundamentum claritatis fidei, expulsoremqué impietatis, cœlitus missa nocturnîs intervallîs lumina collustrârunt. Custodivit reapse Dominus omnia ossa ejus, & unum ex his non est contritum. Gemuit Ecclesia, furente in nervos usque perempti STANISLAI, Principis truculenti gladio, gavisa est, præeunte cruce, Sponsum suum, saltem ante limina sua sepultum fuisse. Sponsæ itaque vita, in morte Sponsi, coram oculis animisqué vestris se se sistit probandam. Date aures benevolas in morte Sponsi viventi Sponsæ, supplex reverensqué filius oro atque obsecro.

Cogitare vos velim *A. I.* quemadmodum Servatorem humani generis Deum Hominem, supremum

ſuarum ovium Paſtorem, ſuæqué Eccleſiæ Pontificem, non alioquin crucis aſcendiſſe patibulum, niſi, ut abjectiſſima ſua nece, morteque acerbiſſima, fideles olim in ſe credituri, vitam haberent, & abundantiùs haberent: ita, quotquot à noviſſimis retro ſeculis poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam ſuam & populum acquiſitionis, ex his quoque aliorum ſanguinem pro grege ſibi concredito profundentium, aliorum præclaris vigiliis ovile Domini ornantium defendentiumqué; mortem & merita pro tegenda ſarciendaqué ſuorum quondam ſubditorum vita, apud Deum efficaciſſimè clamare, & intercedere. Nam quid eſt Eccleſiam in miſeriis florere, lucere in tenebris, clarere in ſanguine, in hoſtium vi, vel victoria triumphare, cùm opprimitur, creſcere, dum

con-

contemnitur, proficere, dum læditur, vincere, tunc intelligere cùm arguitur, tunc teneri cùm deseritur, tunc superare cùm superari videtur! est profectò pretiosam in conspectu Domini Sanctorum mortem, pro sua integritate vadem poni. Illorum enim lacrymæ nostros risus, petulantes oculos eorum pudor, nostra omnia delicta eorum omnes virtutes, vel tegunt, ne pateant ad scandalum, vel abstergunt, ne serventur ad poenam. Non abs re utique primitias Martyrum Abelem innocentem occisum esse accepimus, nisi, ut Ecclesia Dei Sponsa in lege naturæ fuisset superstes. An non legimus protecturum se esse urbem & salvaturum eam, propter se, & propter David servum suum, promisisse Dominum? Voluit remanere lucernam David servo suo, cunctis di-

ebûs

ébûs coram ſe: in Jeruſalem civitate, quam elegit, ut eſſet nomen ejus ibi. Adde verò Jeremiam Prophetam Dei, Fratrum amatorem, & populi Iſraël, multum oraviſſe pro populo, & univerſa ſancta civitate, tum iverisné inficias, ſanguinem interfectorum, pro tuenda ſuorum vita, continuò Dominum deprecari? Infinita poſſem hujus generis colligere; quibûs ſanguinem, Martyrum ſemen eſſe Chriſtianorum liquidò pateret, nisì me mors STANISLAI Pontificis & Martyris, ampliùs adducendîs abſolveret. Atque tecum mihi res eſt Eccleſia! Quid fuit dilectiſſima Sponſa, quod tam miſeris modîs, ſeculo illo undecimo afflicta, in tantos lacrymarum imbres prorumpebas? Quid adverſæ fortunæ violentiam mœſtiſſima coarguebas? Quid lugubri ſqualore,

re, luctuqué madens, testes tuæ infelicitatis, cœlum & sidera inclamabas? Sicciné miseriarum omnium opprimebaris mole, ut nisì per acerba suspiria, per vehementes ejulatus diem ex die fuisses ductura? Nulla usquam tibi solatia, nulla in angustis rebus spes, nullum ejusmodi morborum remedium, nusquam ærumnarum perfugium? Quid erat, quod tam immani dolore te frangeres? tot oculorum rivulis gremium tuum irrigares? omni denique destituta gaudiô, nullius jam opem, manumqué adjutricem exspectares? Fuit Religiosæ disciplinæ neglectus. Quæ domestica sunt in medium non affero, audita aliis, lecta aliis, omnibus planè perspecta. His tamen è fontibus, quorundam hominum, cùm ignorantiâ, tum etiam insolentiâ, sacrorum hinc

atque

atque inde Ordinum rigorem, à priſtina ac laudata ſeveritate, ad aliquam vitæ mollioris libertatem deflecti cœptum eſſe produnt monumenta. Invaleſcebat ea res ſenſim in magnam Religioſæ diſciplinæ perniciem. Traducta Eccleſiaſticorum vita apud vulgus in contemptum, pietati etiam ſua diminuta exiſtimatio ac pretium. Spernebatur dari nomen Religioni, & ipſam Religionem paſſim quædam ſacrorum irreverentia occupabat. Divina tandem benignitate in morte Sponſi valuit in melius Sponſa. Eluxit illi aliquando dies, quo omnem mœrorem abſtergeret, cùm Stanislaus Pontifex clauſerit lumina in unam noctem perpetuò dormiendam. Quemadmodum enim poſt graves procellas, lux aliquando benignior ſolet exoriri,

poſt

post glacialis brumæ frigora & gelidas hyemes, serenior tempestas lætô cœlô descendit, non aliter mortuô STANISLAÔ, si tamen moritur? qui consequitur immortalitatem; tristitia Ecclesiæ versa est in gaudium. Quod gaudii est, vereor mehercule, ne aut gravioribûs utar verbîs, quàm lætitia fert, aut levioribûs, quàm causa Ecclesiæ postulat. Virtutis & bonitatis resipiscentium comes fuit lætitia, tantùmqué acceptior post mœrorem, quantùm post tenebras gratior lux, serenitas post tempestates obscuras. Profectò lapis, quem reprobaverunt, factus est in caput anguli. Oportuit, dixerim; unum hominem mori, ne tota gens periisset. At quomodo? revocate vobis in memoriam, Calvariæ & Rupellæ locum, & utrinque perpetrato facinore

nore revertentes percutere pectora sua videbitis. Ventum est ab iis ad pœnitentiæ lacrymas, qui olim laxioris vitæ gurgiti innatabant. Quid armigeri Boleslai, stipatores ejus corporis, signiferi seditionis, concitatores plebis, injuriarum auctores, depopulatores domorum, percussores, lapidatores, obsessores? ô Dii immortales! vos enim hæc audire cupio; vestra sacra curârunt, vestrum Numen horruerunt, res omnes humanas Religione vestra contineri putârunt, & à recta conscientia transversum unguem non oportere quenquam, in omni vita sua discedere, palam testati sunt. Tunc ii, qui vehementer videbantur esse labefactati, in veterem statum redintegrabantur, nihilque avarè, nihil injustè, nihil libidinosè, nihil incontinenter esse faciendum,

sense-

ſenſerunt. Tunc denuo cœpta jaci ſeges ſanctiùs colendæ & ſervandæ Religionis, venerandi Sacerdotii, populi ex ſordibus & maculis extrahendi. Qui STANISLAUM ſuppliciorum inauditîs acerbitatibûs confecerunt, ipsi conſtantiâ Martyrii victi ſuperatiqué palmam Eccleſiæ conceſserunt. Per quos olim non Religionis ſolùm unitas atque concordia, ſed ſalus tota Chriſtiani nominis in diſcrimen vocabatur, per hos Veſtis illa inconſutilis dilacerari prohibebatur: ô quàm beata vita Sponſæ? Quodſi repetierimus mortem STANISLAI, nefarias Huſſi confutandi opiniones fundamentum jeciſſe? ô vitam Sponſæ! Si dixerimus STANISLAUM innocentem Abelem? erat enim! clamat ſanguis ejus de terra, ſed vitam Sponſæ. Stetit certè pro ea, velut Moy-

ſes

ſes & Aaron, cùm vultu imperter-
rito ante agonem orando, pro ejus
robore manus ad cœlum levaret.
Si eum contulerimus cum Davi-
de? nonné Lucerna hæc ejus ardet?
ardet, imò nunquam extinguetur.
Si tandem Jeremiam voluerimus?
toties contra Martem porrexit gla-
dium, & caput ſuum populo inſpe-
ctante ſudavit. Irritatus eſt Deus
in adinventionibus hominum, &
multiplicavit in eis ruinam, Stani-
slaus ſtetit, & placavit: & ceſſavit
quaſſatio. Cùm enim caput ſit ſuæ
Sponſæ, glorificato proinde uno
membro, congaudeant omnia
membra, ſicut patiente uno mem-
bro, compatiantur omnia membra
oportet. Hæc eſt Sponſæ viventis
cum Sponſo mortuo cohærentia, ut
vivens Sponſa, mortuo congratule-
tur Sponſo, viventi Sponſæ mortu-
us

us compatiatur Sponſus. Regnat illa devota meditatione in eo, is in ea, & pro ea militat pia interventione. Quandoquidem exſpectat eam, ut retribuatur ei, ut videlicet in noviſſimo magnæ feſtivitatis die, omnia ſimul in Virum perfectum cum ſuo tam excelſo Capite membra concurrant, & laudetur cum hæreditate ſua JESUS Chriſtus Dominus noſter, qui eſt ſuper omnia benedictus, & laudabilis, & glorioſus in ſecula: non eſt, quod de ejus ardenti erga ſe ſolicitudine dubitet. Sed tempus eſt redire ad ea, quæ in ſcopum dicendorum poſuimus. Supremo illi Paſtori Chriſto tantæ curæ fuiſſe Eccleſiam, ut oves, quæ non eſſent ex hoc ovili; oportere ſe adducere ad audiendam vocem ſuam teſtatus eſſet, eidem cor ſuum, & o-

mnia

mnia ſua, quia ſuæ munificè im-
pertiiſſet, eam paviſſet verbô &
opere, eam poſitâ animâ ſuâ, in
ſempiternum ſibi deſponsâſſet, in-
ſuper ſanguine vitam ipſi dediſſet,
nisì, qui in rebus fidei hoſpes sit?
ejus notitiam ſubterfugit. Iſtam
viam Chriſti, Sanctorumqué veſti-
giîs impreſſam, altèqué ſignatam,
STANISLAUS, quàm piè, tam con-
ſtanter atque feliciter perſecutus
eſt. Qui ventri, voluptati, errori,
inferno ceſſerant, eos bonus Paſtor
hortabatur, Non proficiens hor-
tando, rogabat. Preces cùm au-
rem mollem non invenirent, doce-
bat. Fruſtra etiam cùm doceret,
medicinalem pœnam illis intra o-
vile revocandis adhibuit. Plura
id idem præſtitiſſe Sponſæ ſuæ STA-
NISLAUM declarant. Teſtes ſunt ejus
graviſſimi mores, teſtes pro Dei
gloria

gloria actiones, pro patrimonio Christi, pro salute proximi suscepti ac generosè perfecti labores, testes universæ illius vivendi rationes, ita perspicuæ, ut oculîs judicari potuissent; vita insons, mors denique pro suo grege gloriosè oppetita testes sunt, eum dilectam suam pavisse, totum se in morem illius formâsse, atque sanguinem pro sua Sponsa fudisse. Infertis, ùt ex frontibus oculisqué vestris in me conjectis, satìs luculenter colligo, vitam Sponsæ in morte Sponsi, ego mortem Sponso & vitam Sponsæ gratulor.

CEL-

CELSISSIMUS PRINCEPS

ILLUSTRISSIMUS, EXCELLENTISSIMUS & REVERENDISSIMUS DOMINUS, DOMINUS

CAJETANUS IGNATIUS

SOŁTYK,

DEI & APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA

EPISCOPUS CRACOVIENSIS,

DUX SEVERIÆ,

EQUES AQUILÆ ALBÆ,

Univerſitatis Cracovienſis

APOSTOLICUS & REGIUS VISITATOR,

ac CANCELLARIUS longè Faventiſſimus,

poſt feliciſſimum ad ſuum Gregem reditum,

ab obſequioſa Univerſitate Cracovienſi

ejus ſimulac Juventute Academica

officioſiſſimo & reverentiſſimo cultu

SALUTATUS.

11mâ Aprilis, 1773tiô Annô.

PRINCEPS Celsissime, SENATOR Excellentissime, PONTIFEX Illustrissime, Reverendissime, VISITATOR Apostolice & Regie, Domine, ac CANCELLARIE Nostrûm longè faventissime.

Lacrymæ nostræ uberrimè ultra quinquennium fundebantur, lacrymæ illæ ex cordibus ergà PRINCIPEM ardentibus erumpentes nunquam satìs ab oculis nostris abstergendæ; post Solenne ad Aras CANTII, nostri Missæ Sacrificium, congregatîs omnibûs Academiæ Ordinibûs, in votivam Supremo Numini pro CELSITUDINE VESTRA Patriæ feliciter restitutà gratiarum actionem absolutum; conversæ sunt in gaudium, gaudium impræsentiarum exerit lacrymas, cùm PRINCIPEM, PASTOREM, VISITATOREM & CANCELLARIUM iniquà sorte tantisper à nobis avulsum, hodie conspicimus, & reverentissimè salutando veneramur. Gaudium, inquam, cum lacrymis est. Verus enim, illequé filialis amor urget è cordibus exultantibus jubila, sed simul imbres ex oculis elicit. Utrumque horum non est ad ostentationem. Lacrymabamur TUI amissi causâ ô PRINCEPS OPTIME! & teste cœlo pro servando in vivis plorabamus, neque pectora laxamus à tripudiis

K ex magno

ex magno gaudio fletu procedente, & de magno fletu nascente gaudio. Non intumescit hìc nostra Oratio, quam non feriatâ linguâ proferimus. Atque cùm gaudium imperet, nec possit moras facere lætitia, ii nos, quos TUUS *dulciter in vita pascit alitqué amor, quibûs tristitia affixiqué animo cessere dolores, ad Sacram tuam affusi fimbriam gestientes præ lætitia, salientibûs per viscera fibrîs, ardentissimè precamur:* DEUS *Optimus Maximus* CELSITUDINI VESTRÆ, ASSERTORI *Religionis, Patriæ* PATRI, PASTORI *Gregis sibi concrediti Vigilantissimò, Jagelonicæ Universitatis* VISITATORI & CANCELLARIO *longè faventissimo, Musarumqué ejus gratiosissimo* PROTECTORI *gaudia, successusqué novos, successibus addat.*

M. Joannis Rygalski S. Theologiæ Doctoris & Professoris, Universitatis Cracoviensis Rectoris.

Nomine Scholæ Dialecticæ.

SI *magnitudinem gaudiorum, quibûs ex optatissimo Tuo adventu perfundimur, verbîs explicare contenderimus, eam tantam esse ne dubites* PRINCEPS CELSISSIME, *quantam animi nostri nequaquam satis capere sufficiunt. Non revocamus*

camus in memoriam, ne tristissimum iterum renovemus dolorem, quem funestissimus ille dies, qui TE PRINCIPEM Optimum è sinu charissimæ nostrum omnium Parentis Patriæ subtraxit, universis Civibus attulerat, quanto ex abscessu Tuo mœrore Gens Polona, Sponsa Tua Sanctissima ac Juventus Jagelonica, Tuo semper devota Nomini, obruta jacuerit. At cùm DEUS Optimus, Cujus nutu ac imperiô res humanæ reguntur suavissimè, TE SENATOREM Amplissimum Patriæ, Fideli Populo PASTOREM Optimum, Musis nostris PROTECTOREM Faventissimum restituerit, quanta exinde exultantibus animis oboriatur lætitiæ copia, quis mente facilè consequetur? Quare, ne & nos cumulatis his, quibûs universi ex desideratissimo Tuo adventu plusquam sperare licuit, replentur gaudiis, deesse videamur, ad Tuas provoluti plantas, Supremum Numen votîs precamur intimîs, ut TE, Quem tam benignè nobis restitui voluit, iîs, quos præstantissimæ Tuæ merentur virtutes, cœlorum ditatum favoribûs, Patriæ, Sponsæ Tuæ Sanctissimæ, rebusque nostris ac universo Populo faustum & incolumem quàm longissimè conservet.

Vincentius Wieruski,
Subdel. Castr. Crac.

NIhil unquam in vita aut jucundius, aut optabilius nobis contingere potuit, PRINCEPS CELSISSIME, quàm, cùm nacti sumus fortunam, TE Pium Sacrorum ANTISTITEM atque Optimum Regni SENATOREM, Cujus optatissimo in Patriam reditu, omnis hominum multitudo majorem in modum oblectatur, debito, ut par est, salutare ac venerari cultu. Nam quis est, qui non jucundissimo TUI conspectu recreetur, atque immensa quadam lætitiæ voluptate perfundatur, Qui omnîs statûs hominibus vehementer optatus advenis. Quem omnes omnibûs votîs, inaudita cupiditate videre exoptabant, optimus quisque incredibili TUI desideriô flagrabat Quamdiu enim à Tuis Sedibus aberas, universa Patria inter spem & metum de TE uno non aliter solicita erat, quàm de unico Filio Vidua Mater, atqué hac re ita commovebatur, ut jam timorem ac dolorem suum dissimulare non posset. Hinc non solùm in Templis, sed in Curia, in foro, in privatis ædibus vota non in dies tantùm, sed in singulas horas religiosè nuncupabantur, supplicationes ab omnibus fiebant, ut ad Religionis nostræ gubernacula quamprimum redires, Qui Christianam pietatem tueri, Religionem amplificare, Divina atque humana tractare rectissimè nôsti. Dici satis non potest, quibus TE votis, quo desiderio, qua cupiditate Cives Tui requirebant, quorum in tota hac Regione nemo est, qui non esset TUI amantissimus, qui TE miran-

mirandum in modum non coleret, observaret ac veneraretur. Quamobrem nemini mirum videri debet, si tam exhilarata est ex TUO *in Patriam reditu universa Civitas, ut non tantùm homines ipsi, sed muri atque parietes ipsius Urbis inusitatam quandam atque infinitam præseferant lætitiam. Quæ cùm ita sint, unusquisque nostrûm ad agendas Immortali* DEO *gratias mentem, animum, linguam excitat, precaturque à* DEO *Optimo Maximo, Cujus nutu sola terrarum gubernantur, ut* TE *omnibus Divinis muneribûs & donis cumulatum ac ornatum, nobis diu salvum ac incolumem conservet.*

Josephus Zakrzowski, Venat: Bracł:

Pòéseos

Carmen Lyricum.

Cùm restitutum TE Patriæ Patrem
Varsovienses, non secus, ac suum
Quondam Latini gestientes
Exciperent saliente plausu;
Nostras ad aures perveniens sonus
Famæ volatis, jam propè mortuos
Inusitato præ dolore
Lætitiîs animavit artus.

Sed

Sed Cracianus Phœbus Apollinem
Miratur illum, tendere barbita
Favente fortuna peritum,
Si furat hæc; nimis expaventem.
Non sic inermi Cracia militat
Duci Sacrarum Pieridum Cohors,
Qui, nuper ùt Regi probatus,
Et Citharîs potis est & armîs.
Hic maluisset prendere parmulam,
Cum Marte dextras ferre severiùs,
Pro TEqué plùs duxisset æquum
Turpe solum tetigisse mentô.
At TE revisens in Patriis Diis,
Non vult dolores, Optime Pontifex,
Vocare rursus, quin, recepto
Dulce sibi furere est; Parente.
Dat obligatas ergo Jovi dapes
Sacratiori, Qui regit æquora,
Terrasqué supremasqué sedes
Imperiô regit unus æquô.
Nunquam Polonam grandine terreat
Gentem, beatum TE foveat diu,
Ut summus intersis Sacerdos
Incolumis Populo Togato.

Josephus Niewieściński
Vexil. Bidgost.

Ejusdem

Ejusdem
Carmen Elegiacum.

QUid ploras? quid Musa gemis? quid Sponsa (dolenti
Voce sonas? Princeps sustulit omne malum.
Parce, precor, lacerare genas, nec scinde capil-
Purpureus molli fiat in ore rubor. (los,
Flere juvat; cùm corda rapit stringitq; voluptas,
Principis adventu non satiata diu.
Pauper eram quinos tanto viduata per annos
Vindice, Quo Superi nunc voluere frui.
Ah quoties oppressa fui! quotiesquè cadentis
Obruit infelix sæva procella caput!
Jam portum teneo sortis, cùm Sponse revisis
Limina, Qui gladios non metuisquè minas.
Pro Patria vitam dederas in mille perîcla,
Saucia ne fieret, cresceret inde malum.
Ergo Sanctarum Legum venerande Patrone
Ausonias Tyrio prende colòre mitras.
Sic voluere Patres natos has ferre, cruorem
Pro Christi Sancta Relligione dare.
Noverat hoc Orbis jam cor adamante recusũ,
Nec fragili massa viderat ille fibras.
Magne Pater jā fata regas, jā vince triumphos
Incolumis sospes, Cracia Musa vovet.

Ludovicus Kiełczewski,
Colonel: Exer: Reg:

Gram-

DIvinô factum est consiliô PRINCEPS CELSISSIME, ut, quod animi Fidelium longissima TUI exspectatione exhausti, sunt à Superis cum immenso fervore precati, id tandem recèns cum nova incremento lætitiæ evenisse, sublatis in cœlum manibûs, mirum in modum gaudeant, plaudant, & exultent. Atque ita exultent, ut, si sanctitatis jura violare non pertimescerent, singuli præ inexplicabili gaudio, reseratîs emotîsqué Aulæ hujus penetralibûs, ad figenda Sacra venerandis Plantis Tuis oscula, tum elicienda incensi cordis vota & suspiria, effusè convolarent. Non alio quoque nos huc confluximus animo, PRINCEPS CELSISSIME, nisì mille tenerrima honorandis Plantis TUIS supplices ut daremus oscula, religiosèqué cum triumpho plauderemus, precantes: Vive PRINCEPS CELSISSSIME, immortalis in cordibus omnium Gentium, toto quà latepatet orbe, vive beatus, perpetuo reflorescente gloriæ Tuæ splendore: vive innumeram annorum seriem, atque immortalia Tua de Patria & Ecclesia merita fama semper crescens adaugeat & amplificet.

Nepomucenus Michałowski
General: Exerc: Reg:

Ejusdem

Ejusdem.

QUid sibi turba hæc frequens per plateas sparsim forumque diffusa, quid vultus omnium animique tantopere exhilarati, ut ipsam spirare videantur lætitiæ dulcedinem, velint, taceam ego licèt, omnes, haud dubium, quin intelligan, PRINCEPS CELSISSIME. *Diuturna enim optatissimi adventûs* TUI *mora quemadmodum sinè* TE *Patre Ecclesiaque splendore dolore contabescentes in luctu tenuit; ita jucudissimus Tuus conspectus, universos in hilaritatem dedit, atque inusitata quadam animos voluptate demulsit. Imò verò, non tam filium præsentia dulcissimi carissimique Patris, cujus ille desideriô videndi longo tempore elanguit, consolari atque recreare potest, quàm* TUI *adventûs fama universum gregem in gaudia provocavit. Quocirca cùm nobis præ lætitiæ ubertate, quam nobis* TUA *suavissima ingeneravit præsentia, satis imperare nequeamus, satìs tamen nunquam precari desinemus: ut* DEUS *Optimus Tuam,* PRINCEPS CELSISSIME, *incolumitatem in commodum & utilitatem Patriæ, Reipublicæ, Ecclesiæ Clientumque præsidium seros in annos prorogret & consolidet.*

Franciscus Poleski,
Venat. Buscen.

ELE-

ELEGIA.

Nox erat &Populos urbis sopor altus habebat
Lunaqué spéctabat splendidiore coma.
Sidera parva rotas pingebant fornice cœli,
Cæruleus tinxit quos supera arte color.
Nõ hominũ strepitus, nõ vox per cõpita, quorũ
Gratior insedit pectora lassa quies.
Tũ propeCimmerios species stans blãda recessus
Somnos formabat, nobiliore modo.
Culcitra tum cumuli plumarũ corpora circũ
Mulcebant, placidas conciliando moras.
Proh subitò Lechiæ magnã fit fama per urbẽ!
Occidit illustrem Dux bonus ante diem.
Sidera spectando jacturam Principis, inde
Mœrent insolitè, pallida luna pluit.
Excitat ingentes animos mox rumor iniquus,
Plena domus lacrymis, angulus omnis erat.
Femina virq; gemit, pueri quoq; tristia pãdunt.
Hæc facies Trojæ, cùm caperetur, erat.
Nulla salus dapibus, fors nullus somnia gustus
Excipit, his studiis, nox ea pulsa fuit.
Interea Titan pelago processit ab alto,
Purpureas terrâ vexit ad astra genas.
Aulam respiciens, oculos ad mœnia torsit,
Principis invisit lucifer ille fores.
Regia non resonat, miratur; turba recessit,
Vibratum reprimit clausa fenestra jubar.
Sidera concurrunt nocturna clade notata,
Nuntia funestæ Cynthia sortis erat.

O sol

O Sol flammigeris qui volvis curribûs annos!
Et Princeps nobis lumina cuncta vehis.
Est Tibi concessum ferventi lampade terras
Lustrando, vigili cingere quovè die.
Phœbe Pater, Tu sêcla rotas, Tu prospera mundo
Advehis, & fugiunt, Te gradiente, mala.
Flecte caput, radiosq; doma, crinesq; micantes
Detrahe, mox referam, quæ invaluere mala.
Deposuit lumen, propiùsq; accedere jussit,
Aures intendit, fixerat ora tenens.
Cynthia mœrendo, narrat res ordine tali,
Squalida dispersîs hirta per ora comîs:
Pastor erat vigilans, cuî Tu præcordia Titan
Non cænô dederas, sed meliore solo.
Pectora formâsti ferrô, quibus ensis & hasta
Non sunt terrori, sit nisì salva Fides.
Sol fuit in vasto Princeps hic Orbe Polono,
Diffundens radios lucidiore coma.
Præsto fidē quantū pietas, sunt sidera testes!
Principis insedit viscera sanctus amor.
Semper erā præsens, quantū sudavit & alsit,
Nocte tenebrosa volverat ille libros.
Sanctarum Legum Custos, Patriæque Senator
Vix modicô spatiô, membra colenda quies
Prostravit lectô, vires vix pane refecit,
Pro Patriæ placitis pondera multa tulit.
Tentatus variè, non hæc flexere valentem,
Non mors, non gladius, non domuere minæ.
Obvius ire malis, tendit per saxa per ignes,
Templa, novos renuens, dat caput inde basim.

Protinus

Protinus invidiæ nigrô squalentia tabê
Pectora commovit, non satianda dolô.
Nox inimica Lechi rapuit, proh gaudia gentis!
Nescio, quò magnum sustulit illa Ducem.
Phœbe Pater mox crine nitens, pete Regna per orbē
Scrutariq; velis, Dux ubi degit amans.
Cynthia multa petis, quæ nondū viribus istis
Munera conveniunt, nescia, magna rogas.
Finge meū currū, quem cingit torrida tantùm
Zona, nec Arctoum curat adire polum.
Nox ibi sex menses nondū compleverat alta,
Huncce Ducem texit, verius esse reor.
Id tamen efficiam, non claudat circulus anni,
Inter felices, hunc numerando, diem.
Plorabo Magni discessum Principis hincce
Flensq; pluā lacrymas, lumina nulla dabo.
Ut fueram quondā mœstus, dum Julius absens
Cæsar Romana semper ab urbe fuit.
Sponte tegam radios, picea caligine vultum,
Fronte feram nebulas, avolet inde Notus.
Nuntia Junonis croceos induta colores
Flumine tum stagnis hauriat Iris aquas.
Mox fragor intonuit densos ex æthere nimbos
Stillantes validè cernere semper erat.
Depressæ segetes sunt irrita vota coloni,
Frugiferos hortos noxia mersit aqua.
Sidera vestivit tetro velamine squalor,
Ut non distinctè noxque diesque foret.
Undique nigranti cingebant astra Polonos
Nube, quoad Princeps dispulit omne chaos.
Riserat

Riſerat immenſa Titan, tum ſidera cœli
Lætitiâ, parilis non fueratqué dies.
Quando Ducē Superi in Cracios miſere Penates
Quæ cœli facies? pandere nemo poteſt.
Dat populus, dat gratus Eques, dat thura Sacer-
Pontifici vigili, tum pia vota ferunt. (dos
Et quanquam occaſus rapuit jam lampada ſolis
Non deerat populo, Te veniente, dies. (ſtra
Sparſerat in domibus ſplendorē inſtructa fene-
Et Cracidum turres fulgura multa dabant.
Hos populi plauſus, hæc Dux ſolatia cœli
Excipiens, fidum credidit eſſe gregem.

Jambicus.

HEus blande Nympharum Pater! mortalium
Sator, Deorum ſumme cœli Jupiter!
Qui cardines orbîs rotas ſublimibûs
Gubernâs! Te ſiquis ignis Patrii
Adhuc amoris urget erga Filias,
Flagrantibûs Tuo ſtudentes nomini
Votîs, potiſſimùm Vavelli quas jugis,
Et Vandali cito præeſſe flumini
Mandaveras; quis palpebras ſopor premit
Feſsas? quis obruit bonam mentem cinis
Obliviosus ſic Tuam? quin ſentias?
Parcæ ſtygis propago nigræ dentibûs

Hians

Hians in humanum genus nimis furunt,
Ullîs inexorabiles eò modîs,
Quas ut nec & tauri triceni leniant.
Diræ, rapaces, barbaræ: nec frangere
Nôrunt diem Bacchi merô, nec ducere
Lætas choreas, nec Tibi dapes dare:
Sed tetricam juxta suam ferociam
Noctu diuqué fila nent atrîs colîs
Prolixa; fusîs hæc agunt in stamina,
Vitamqué metiuntur illîs omnium
De more lacrymabili viventium.
Pro quanta vis harum ferocit in dies!
Petitqué gentes ad necem vastissimas!
Quæ nil habent pensi, quis utrum sarculum
Manu solebat fructuosum stringere?
Enses an in caput cruentos hostium?
Eheu nec imbellis juventæ popliti
Parcunt, timentibusqué tergis militum,
Idoneos cessant viros nec persequi.
Ætatis haud annos vocant ad calculum,
Quàm quis diu sub sole vitam duxerit,
Aut presserit queîs lacertos molibûs
Aris focisqué pro tuendis Patriis,
Nihil moventur; quin opimæ munere
Qui vescitur, vel seriùs vel ocyùs
Linquenda tellus est, domus, conjux placens;
Calcanda turpis est semel lethi via,
Visendus & Cocytus ater Tartari.
Hìc, sceptra quot Craci sepulchrum sorbuit!
Quot Infulas sacras profanis vermibus
Dedit

Dedit, coronas hausit atque regias!
Et quot Poloni nominis spes sustulit!
Incisa marmori quidem sunt stemmata,
At quid juvat testata saxîs gloria
Marpesiîs? quando potens Heros jacet.
Vivit celebris interitqué glori,
Si vivat heros ejus, aut si concidat.
Ad vota nostrum clamitantûm flectere,
Audiqué verba, quæ dolor summus rapit,
Gentis coortus ex querelis horridis,
Aures queîs nostras, & implet æthera,
Quinos gemens annos dolensqué Principem
Antistitem carissimum SOŁTYKIUM.
Insaniens extra modum quòd Atropos
In rebus humanis jocando barbarè,
Turbatione, qua potest, hunc alteret.
Fatale filum non habet sat rumpere,
Quod omne per nefas manu prehenderat,
Verùm, magis dolor fibras ut intimas
Penetret & sensus adhuc superstitis
Acerbioribûs Viri molestiîs
Coquantur, en manus litatas Numini,
Sacris inhærentesqué semper thuribus
Ejus vetat præstare cærimonias,
Mœrore cor mentemqué multo lancinat:
Gregis relicti, civium Poloniæ,
Reiqué sacræ suggerens pericula.
Quod proh dolor quis vidit, aut quid audiit
Ab orbe nato par nefando crimini!
Flagrare tam feroce sævitudine!

Pater

Pater supreme rem tuam vides agi!
Incendiis dum tecta flagrant proxima,
Quis non tremat? natas Tuas ne devorent.
Succurre filiabus expetentibus:
Jam quinta veris sol vehit primordia
A Te dati nostris agendis saltibus,
Et nos sorores pro choreis mollibus.
Hucusque mœstas intonamus nænias,
Succurre filiabus expetentibus!
Lubens enim si negligis defendere,
Et desinas, quando potes, vis perdere.
O Filiæ genus Patenti durius!
Ergoné vos supponitis, SOŁTYKII
Clarissimæqué Principis Prosapiæ
Obliviis quòd nomen altis cesserit?
Quis non furentes dixeritqué frivolas?
Parcis quidem leges datas latratibûs
Terrere non nos diffiteri possumus,
Sed absque nobis inferant ut vim suam,
Diram & vicem mortalibus, nunquam datum.
Hæ si quid ultra limites cum Principe
Processerint legum suarum, maximas
Pœnas luent, infamiæqué contrahent
Malas in æternum perennantis notas.
Et Præsulis jam tanta crescit gloria,
Crescetqué, quantâ nullus in Polonia
Civis magìs decorus unquam præstitit,
Olimqué præstabit nec ullus clariùs.
Ego gravi succenseo socordiæ
Vestræ, quòd ignoretis hunc summum Virum

Sua-

Suavissimum Gregi Cracoviensium,
Reiqué sacræ sustinendæ vindicem
Acerrimum, jam plausuum præconiîs
Amplissimis suas in ædes provehi.
En nationes obviam currunt, iter
Parant, juventus, Phœbus atque Cracius
En personant: io triumphe vicimus!
Ovile Pastor ad sui tendens gregis
Bonus; diu vivat, frequenter clamitant.
Solæ nisi vos verberatis planctibûs
Auras fugaces cum Patris molestia.
Proinde vestros inchoate pristinos
Unàqué saltus more presso ducite;
Ignosce care filiabus ô Pater!
Nam rauca præ dolore vox Parnassidum
Adhæserat longo suis sic faucibus,
Pedesqué nostri descierunt ducere
Priscas choreas, ut nec illæ ludere
Dignum melos sacri Parentis auribûs
Possint, nec & Nymphæ choros lætos dare.
Priusqué solve Principem molimine
Rerum nimis Caput sacrum prementium,
Necnon reduc optata Lecho tempora,
Nos interim brevî choros parabimus.

L ECLO-

ECLOGA.

ECquid Alexi, gravi proſtratus membra ſo-
pore,
Dormis, an vigilas? minimè, quæ ſunt tua,
(curans?
Dic age! quid rerum? quid fauſti, quidvé ſi-
niſtri
Hæc ſibi verba volunt? quare ſic fortiter inſtas?
Tu placidè recubans patulæ ſub tegmine fagi,
Totum TE ſomno committis, & otia captas,
Nulla ſubinde gregis fors eſt tibi cura tu-
(endi?
Duriùs inſiſtis Corydon, nimiùmq; moleſtum
Te mihi nunc præbes, juſta dum feſſa quiete
Membra levare volo; quò poſſint ferre labores.
Non eſt, crede mihi, non eſt hoc tempus in-
(erti
Somno, ſed vigiles opus eſt producere curas,
Dum tua res agitur, ſi nolis ipſe perire.
Exponas, oro, quæ mœſta mente volutas?
Quæ tibi cauſa mali? quæ te ſic triſtia
(turbant?
Acſi non eadem pariter tibi cauſa doloris
Eſſet Alexi, placet fors inter acerba jocari?
Fac age! totiuſqué rei dic ordine ſenſum.
Nonné greges miſeros errare per invia ſpe-
(ctas?

Non

Non instare vides horrenda pericula? nonné,
Quomodo dente minax lupus insidiatur ovili,
Prospicis? ùt rabie concursat ubique furente,
Quò dispergat oves, morsu laceretqué feroci
In sylvas tristes, lucosqué propellat opacos,
Aut agat in præceps, haud quidquam tale (merentes.
Rem mihi tristitiæ narras plenamqué doloris!
Sed, si posse vides aliqua ratione medelam
His me ferre malis, ne cesses plura referre.
Quid? quòd nocturnis surgens vastator in (umbris
Invigilans prædæ, priùs haud, immitè furenté
Vult satiare famem, nisì vitâ privet inermes,
Huc omnes curas, vires huc exerit omnes.
Eheu! quis tantum potuit sperare dolorem!
Quid? quòd inaccessis plures in montibus er- (rant?
Horrida dispersæ plures per tesqua vagantur?
Nec spes est notas aliquando revisere caulas!
Quis tibi nunc sensus, dum talia cernis Alexi?
Quis dolor, atque stupor tremebundos occu- (pat artus?
Ne dubites Corydon, quin me dolor urgeat idem,
Nec duros ictus horum sentire malorum
Te solum reputes, hic angit amaror utrumq;
Sed, quid consilii capiemus? & unde levamen
Tantis posse malis accedere rite putandum?
Forsitan ignoras, vel non perpendis Alexi,

Quis

Quis queat hisce malis optatam ferre mede-
(lam?
Ecquis tam diros possit compescere casus,
Obsecro, ne sileas, ultro sed promere perge.
Eripit ah! misero dolor, eripit ah! mihi verba!
Dicere quod tento, complet singultibûs ora.
Dic tamen, & solus tanto ne concide luctu.
Quid loquar? exciderat grato tibi pectore
(Daphnis? *
Infandum tristes iterum renovare dolorem
Cogimur! ah miseros! nostrûm solatia Daphnim
Abstulit una dies, mala qua sors abstulit il-
(lum!
O! si crudeles animô removere dolores
Quis valeat! reddatqué mihi mea gaudia Da-
(phnim!
Dux gregis hic verè fuerat, custosqué fidelis,
Nocte diequé graves cupiens impendere cu-
(ras.
Ne pecus electum quidquam perferre mo-
(lesti,
Et ne discrimen quodvis incurrere posset.
Nobilis ille gregis custos, magè nobilis ipse
Præclarè celsi præclaro munere fungens
Pastoris, quodcunque suas spectare videret
Partes, solicitus non prætermiserat unquam.
Quan-

* *Nomine Daphnis usus est Virgilius in laudem Julii Cæsaris*, in Buccolic: Eclog: 5tâ.
Hìc Celsissimus PRINCEPS intelligitur.

Quantò præ reliquis fulsit sublimis honore,
Tantò præ reliquis animô sublimior unus
Exstiterat. Duri generosum frangere pectus
Non poterant casus, non ulla perîcla movere.
Daphnis amavit oves vero Pastoris amore,
Non dubitans illis propriam postponere vitam.
Ille pedô fultus, quo sustentare labantes
Posset; non animô, non pectore defuit ulli
Hoc arcere lupos ab ovilibus usque studebat,
Dum vires, roburqué sibi superesse videret.
Hæc ego vera libens fateor, votôqué fidelî
Comprobo, nec video quemvis hæc posse ne-
(gare.
At, nimium rebus sors invidiosa secundis,
O quàm sæva furis! quò te ferus incitat ardor!
O quid agis! quando nobis sic eripis illum,
Per quem multorum bene pax & vita stetisset!
Nil te de cordis suspiria tracta profundo,
Nil te tam densæ lacrymæ, luctusqué move-
(bunt?
Quæ clamore suo penetrant ad sidera Cœli?
Desine! quid Corydon mœrore repleris inani?
Jam fletus cohibe, luctus ne sparge fugaces,
Jam satìs his lacrymis indulsimus, atque dolori.
Desine! nec tentes ultrà lamenta ciere.
Qua ratione queam justos cohibere dolores?
Cùm sublata mihi mea gaudia cogito Daphnim!
Imò, favente piis votis jam sorte benigna,
Sospes & incolumis, prô! quàm pia Numina
(terris;
Da-

Daphnis ovile ſuum repetit, notosqué penates.
Sed, quid Alexi, vide, quid dicas? qualia
(narres?
Fors te ſomnus habet, fors viſum ludit imago,
Aut, quæ turbatâ verſas conamina mente,
Decipiunt oculos, ſomnô luctuqué gravatos.
Hæc tu ſi repetas iterū, recitesqué ſecundò,
Jurataqué fide referas, vix credere poſſum.
Ne dubites Corydon, fallax non ludit imago,
Nec ſomnô teneor, nec viſus lumina fallit,
Non ego rumores vulgi, non ſomnia narro,
Sed res indubias refero tibi mente fideli.
Obſecro, ſi tutò verbis his credere poſſum?
Si me non ultrà poſſint hæc fallere dicta?
Firmam, poſco, fidem non jam præbere recuſes,
Aſt ita certus habe, veluti, ſi geſta liceret
Uſurpare tuîs digitîs, oculîsqué videre.
Non equidem potuit falli, nec fallere ſcivit
Ille, cui fuerat noſtri commiſſa regendi
Cura greg s, quando cunctas hæc ſparſit in oras.
O me felicem! me terq; quaterqué beatum!
Si mea vita mihi, si ſpes mea reddita Daphnis!
Non plùs infauſtam ſortem, non fata timebo,
Non necis, ac cædis plùs inſidiator anhelans
Infeſtare gregem, technasqué parare ſtudebit.
Non lupus ore minax & acuto dente timen-
(dus
Innocuum, vacuumqué metu, vaſtabit ovile.
O me felicem! me terqué, quaterqué beatum!
Dum mihi reſtituunt ſalvum pia Numina Da-
(phnim!

Jam pecus eximium lætîs ſpatiabitur agrîs,
Dū ſibi præſtò ſuū Daphnim cognoſcet adeſſe.
Plaudito jure; DEUS nobis hæc otia fecit
O Corydon! triſtemq; procul diſcedere luctū
Juſſit, & ipſe pius complevit gaudia noſtra.
Dic age! ſi nôſti, quo res eſt ordine geſta,
Quî Daphnis potuit ſalvus, vegetusq; manere?
Luna quater junctîs implêrat cornibûs or-
(bem,
Quem Jano menſem voluere dicare priores,
Nona ſupra decimam Solis lux fulſerat oris,
Oſtia tum Daphnis primò ſibi vidit aperta,
Ut charos revidere lares, & adire liceret.
O mihi ſi Daphnim, Daphnim quandoq; vi-
(dere,
Aſpectuqué frui ſi quando daretur amico.
Imò, quid exoptas, fors nec tua concipis ipſe
Gaudia? Jam Daphnis propriū nunc viſit ovile,
Aſpectuqué ſuo recreat, cunctisqué miniſtrat
Lætitiæ fructus, jam triſtia cuncta repellit.
Mœſtum ſqualorem dum cuncta creata repo-
(nunt,
Compedibûs mortis dum gaudent eſſe ſoluta,
Læta ſuum Daphnim plebs circumfuſa ſalutat,
Voce, manuqué ciens plauſus, & vota ſupremo
Libans, de tenero manantia corde, Tonanti.
Apparet faviſſe piis bona Numina votis.
At, quisnam potuit tantam ſperare futuram
Lætitiæ ſegetem? quis gaudia tanta videre?
Ille DEUS certè nobis hæc gaudia fecit,

Qui

Qui mare, qui terras, qui cuncta creata gu-
(bernat,
Cujus ad imperium ſolius flectitur orbis,
Ille gregi vigilem voluit conſiſtere Daphnim.
Jam mea non aliũ cantet, nisì fiſtula Daphnim.
Jam mea non alium recitent, niſi carmina
(Daphnim.
Jã mea non aliũ reſonet vox, nonniſi Daphnim
Jam mea vox feriat cœlos, ad ſidera Daphnim
Carmine condigno tollens & laudibũs ornans.
Daphnis amavit oves, nunc Daphnis amore
(viciſſim
Dignus rite coli, juſtèqué meretur amorem
Cunctorũ, mentes qui cunctas poſſidet unus.
Qui ſe mente bona cunctis impendere novit,
Daphnim fama vehat velox ſuper ultima
(mundi,
Daphnim fama ſonet per ſecula cuncta fidelis.